Provinciae Californiae

MEDITATIONUM ET CONTEMPLATIONUM S. IGNATII DE LOYOLA PUNCTA

LIBRI EXERCITIORUM TEXTUM
DILIGENTER SECUTUS EXPLICAVIT

FRANCISCUS DE HUMMELAUER S.J.

EDITIO TERTIA



FRIBURGI BRISGOVIAE
HERDER & CO.
TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

33330

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 19 Novembris 1924

✠ **Carolus,** Archiep.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae, 1925.

Printed in Germany

Lectori salutem.

PARANTI mihi alteram huius libelli editionem cavendum esse existimavi, ne ita mutarem librum, ut alius esse videretur ab illo qui, qualis primum in lucem prodiit, pluribus placuit. Aliqua addidi, plura emendavi; providit simul bibliopola, ut libellum redigeret in formam immo commodiorem. Illud in hac editione uti in priore sanctum habui, ut partes agerem interpretis S. Ignatii tantum, eniterer sensum libri exercitiorum evolvere, non mea illi superaddere. Vale.

Berolini, die 21 mensis Iunii 1909.

Auctor.

Index.

Pag.

Lectori salutem V

Praenotanda 1

§ 1. De meditationum nexu inter se . . . 5

§ 2. De contemplationum cum meditationibus nexu 50

Puncta.

Principium et fundamentum 65

De triplici peccato 91

De peccatis propriis 122

Tertium exercitium 139

De inferno 144

De regno Christi 159

De annuntiatione Dominae nostrae 170

De visitatione Dominae nostrae ad Elisabeth 183

De nativitate Christi Domini nostri . . . 189

De pastoribus 198

De circumcisione 205

De tribus regibus magis 212

De purificatione Dominae nostrae et praesentatione pueri Iesu 218

De fuga in Aegyptum 227

Quomodo Christus Dominus noster rediit ex Aegypto 237

Pag.
De vita Christi Domini nostri ab anno aetatis duodecimo ad trigesimum 242
De adventu Christi in templum, cum esset annorum duodecim 251
De duobus vexillis 262
De tribus binariis hominum 277
Quomodo Christus baptizatus fuit 290
Quomodo Christus fuit tentatus 297
De vocatione apostolorum exercitium prius . 307
De vocatione apostolorum exercitium alterum 320
De primo miraculo facto in nuptiis Canae Galilaeae 324
Quomodo Christus Dominus noster eiecit e templo eos, qui vendebant 329
De sermone, quem fecit Christus in monte . 334
Quomodo Christus sedavit maris tempestatem 345
Quomodo Christus ambulabat super mare . 353
Quomodo apostoli fuere missi ad praedicandum 359
De conversione Magdalenae 367
Quomodo Christus Dominus noster dedit ad manducandum quinque milibus hominum . 374
De transfiguratione Christi 380
De resurrectione Lazari 388
De coena in Bethania 394
Dominica palmarum 400
De praedicatione in templo 406
De coena ultima 411
De mysteriis factis a coena usque ad hortum inclusive 425
De mysteriis factis ab horto usque ad domum Annae inclusive 435

Pag.
De mysteriis factis a domo Annae usque ad domum Caiphae inclusive 446
De mysteriis factis a domo Caiphae ad domum Pilati inclusive 453
De mysteriis factis a domo Pilati usque ad domum Herodis 459
De mysteriis factis a domo Herodis usque ad domum Pilati 465
De mysteriis factis a domo Pilati usque ad crucem inclusive 471
De mysteriis factis in cruce 479
De mysteriis factis a cruce usque ad sepulcrum inclusive 486
De resurrectione Christi Domini nostri, de prima eius apparitione 491
De secunda apparitione 504
De tertia apparitione 510
De quarta apparitione 515
De quinta apparitione 520
De sexta apparitione 528
De septima apparitione 533
De octava apparitione 538
De nona apparitione 545
De ascensione Christi Domini nostri . . . 550
Contemplatio ad obtinendum amorem . . . 556

Appendix.

De praeludiis et colloquiis 575

PRAENOTANDA.

CUR tot in S. Ignatii Exercitia elucubrationibus nostras haud veriti simus addere notulas, rationem accipe. Scrutantibus assidue tanti parentis librum, in quo nos vitam habere putabamus, occurrere quaestiones aliquae ab aliis explicite non discussae, quae tamen spernendae nequaquam viderentur, quo exercitia penitius intelligerentur atque efficacius traderentur. Varia scil. S. Ignatii liber complectitur documenta, quorum alia ipsa meditationum et contemplationum puncta tradunt, alia meditandi et contemplandi leges et adminicula variasque explicant regulas. Haec ille exercitiorum *formam,* illa eorundem *materiam* appellat. Cf. contempl. 3 hebd. secundae: «In hac repetitione et in omnibus sequentibus idem servabitur ordo procedendi, qui servabatur in repetitionibus primae hebdomadae, mutando materiam

et retinendo formam»; ~t post contempl. 2 hebd. tertiae: «semper praemittendo orationem praeparatoriam ac tria illa praeambula, iuxta subiectam materiam, eadem forma, ut dictum est ac declaratum in secunda hebdomada». Porro, de exercitiorum forma scripsere plurimi copiose simul atque solide. Item de meditationibus et contemplationibus illis, quarum puncta in corpore libri fusius descripta leguntur: fundamenti; meditationum de peccatis, inferno, regno Christi, vexillis, binariis; contemplationum de incarnatione, nativitate, coena, horto, resurrectione, amore Dei. Verum exstant praeterea mysteria bene multa, quorum in corpore libri nomina tantum recitantur, ad calcem puncta nonnisi summario traduntur. Quae ii quos modo appellabamus auctores aut silentio premunt aut e propria mente interpretantur. Visus est hic nostri libelli locus. Adnitemur meditationum et contemplationum *omnium* puncta explicare, quantum fieri potest, ad mentem sancti Patris, eius textui fideliter adhaerentes, eiusque variis locis effata inter se studiose comparantes. Pauca hoc loco

de variorum exercitiorum mutuo nexu delibabimus.

Et primum quidem notare oportet, variis sanctum Patrem pro diversis exercitiis uti appellationibus. Vox *exercitium,* praeter ampliorem annotatione prima statutam significationem, quodvis genus «operationum spiritualium» complectentem, pressiori acceptione solam meditationem aut contemplationem designat. Id inter alia exinde patet, quod primae hebdomadae singulae meditationes dicuntur primum, secundum, tertium, quartum, quintum «exercitium», cum tamen, praeter eas meditationes, alia bene multa latioris sensus exercitia habeantur. Voces *meditatio, contemplatio* synonymae non sunt. In titulis singulorum exercitiorum, praeter amoris Dei exercitium, sola et omnia *mysteria* contemplationes inscribuntur. Idem in reliquo textu loquendi usus servatur, atque a nobis etiam in sequentibus retinetur.

Nota locos, quibus sanctus Pater meditationem et contemplationem veluti duas res distinctas iuxtaponit: annot. 12: «hora contemplationis, meditationis vel orationis»; post

praeamb. 2 de triplici peccato: «ante omnes contemplationes vel meditationes»; ib. in praeamb. 1: «in contemplatione vel meditatione (de re) invisibili»; addit. 3: «in quo contemplaturus sum vel meditaturus»; addit. 5: «in contemplatione seu meditatione». — Utique in tanta vocum frequentia et rerum significatarum varietate fieri haud potuit, quin, perpaucis quidem locis, ille loquendi usus desereretur. Sic in binariorum colloquio mentio recurrit «contemplationis» de vexillis; «consideratio et contemplatio de peccatis» legitur annot. 4; in notando ante mysteriorum puncta: «in quovis mysterio ... tria puncta, ad meditandum et contemplandum in illis». Ipsa tamen harum exceptionum paucitas regulam confirmat. Quam eandem Rev. P. Roothaan videtur esse secutus, quoties uncinis inclusam alterutram vocem, ut textus facilius intelligeretur, supplevit. Cf. praeamb. 1 de triplici peccato, notam post diem 7 tertiae hebd., diem 3 et 5 secundae hebdomadae: Et quidem paenultimo loco contemplandi vocem pro meditandi etymo, quod vulgata versio habet, substituit. Quae fortuitu ita accidisse haud crediderim.

Quibus de rerum nominibus praemissis dicemus iam:

§ 1. De meditationum nexu inter se.

n. 1. Secundum annot. 1 exercitiorum spiritualium nomine comprehenditur «modus quilibet praeparandi et disponendi animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas et, *postquam quis eas sustulerit,* ad quaerendam et inveniendam voluntatem divinam *in vitae suae dispositione,* ad salutem animae». Et *titulus* libri sic habet: «Exercitia spiritualia, ut homo vincat se ipsum et *ordinet vitam suam, quin se determinet ob ullam affectionem, quae inordinata sit.*» Unde efficitur, ultimum quidem exercitiorum finem, quippe quae pro hominibus scribantur, esse ipsum finem hominis, «salutem animae»; finem vero eorum immediatum, seu id. quo salutem animae promoveant, esse vitae pro futuro ordinationem seu dispositionem, quam tamquam condicio praecedat praeteritorum emendatio.

Quod si is sit finis, illum in eo sane etiam documento expressum reperiemus, quod universae huius spiritualis structurae principium est atque fundamentum. Atque revera, quo illa vitae ordinatio consistat, distinctius his *fundamenti* verbis

docemur: «unice considerando et *eligendo* ea, quae magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus».

Ergo ea divinae voluntatis disquisitio et inventio, ea totius vitae dispositio et ordinatio imprimis *electione* constat, *cui tamquam negotio totius secessus principali reliqua omnia subordinantur*.

Quod postremis fundamenti vocibus enuntiabatur, id constanter postulat *oratio praeparatoria:* «ut omnes meae intentiones, actiones et operationes pure ordinentur in servitium ac laudem suae divinae maiestatis». Quae supplicatio cum nulla admissa mutatione sit omnibus sequentibus exercitiis praemittenda, omnibus illis communem ad electionis opus ordinate peragendum directionem impertitur. Intelliguntur autem «intentiones, actiones et operationes» proxime illae, quae ipsius exercitii decursu obvenerint; sed praeter eas etiam omnes sequentis temporis intentiones etc., influxu peractae antea meditationis dirigendae et sanctificandae.

Electio, ex mente sancti Patris, cum *vitae statum* complectitur tum media quaeque ad se in statu semel electo per-

ficiendum; primarie tamen omnino statum ipsum. Quod patet generatim ex modo loquendi sancti Patris (cf. ad accipiendam notitiam, quibus de rebus fieri debet electio; item praeamb. ad consid. status; annot. 5 et 15), specialius vero ex verbis tertii temporis electionis faciendae: «eligit ut medium vitam aliquam seu statum intra limites ecclesiae». Immo, in monito ad reformandam vitam et statum, eo procedit sanctus Pater, ut solam vitae reformationem, exclusa status mutatione, videatur ab electionis nomine eximere: «*Loco* faciendi electionem, dare formam et modum emendandi et reformandi propriam vitam et statum uniuscuiusque illorum». Tamen, cum is loquendi modus hoc tantummodo loco occurrat, non est ita premendus, sed iure affirmabimus exercitia illud proxime intendere, ut vitae statum aut eligat exercitans aut in iam electo statu se perficiat, seu aliis verbis, intendere status aut electionem aut reformationem.

Praeambulo ad considerandos status explicite etiam docemur, qua ratione se habeat *contemplatio vitae Christi* ad elec-

tionis negotium. Primum enim Christus nobis dat exemplum pro statu perfectionis tam communis quam evangelicae; et quidem in duobus mysteriis vitae absconditae atque ascensus in templum exemplum praebet alterutrius status amplectendi, in reliquis mysteriis exemplar se sistit virtutum in utrovis statu exercendarum. Secundo, «simul contemplando eius vitam» fructuosius possumus «*investigare* et *petere,* in quanam vita seu statu divina sua maiestas nobis uti velit». Cur ita? Quia eius vitam contemplantes penitius imbuimur eius spiritu, quo ab illusionibus daemonis in nostra electione praeservemur, atque statum aliquem vitae amplectamur, «non secundum motionem ullam sensualem» (primus modus electionis), «non accedendo ad carnem neque ad mundum» (ad accipiendam notitiam etc.). Totum siquidem electionis negotium, praeter intellectum, voluntatem vel maxime spectat (cf. primus modus, 3), atque utramque hanc facultatem convenientissime disponit contemplatio vitae Christi.

Quam nobis iamiam aggressuris proponitur a sancto Patre meditatio *de regno*

Christi, titulum prae se ferens: «Vocatio regis temporalis, *quae iuvat ad contemplandam vitam regis aeternalis.*» Unde inferas eam meditationem relationem quandam habere ad omnia trium sequentium hebdomadarum mysteria, quippe quae omnia ad «vitam» Christi pertineant. Non tamen ea ratione se habet ad vitam Christi qua fundamentum se habet ad integra exercitia. Non habet illa rationem «principii», in quo conclusiones ulteriores universae radicentur necesse sit; non rationem «fundamenti», quo subtracto tota structura corruat: sed solum *adiumenti* cuiusdam. Posset etiam eodem quo vexillorum meditatio nomine appellari «introductionis». Speciatim non habet rationem fundamenti neque principii respectu electionis, cum in documentis electionem spectantibus nulla eius meditationis, ne implicita quidem, mentio recurrat. Omisso fundamento exercitia ne concipi quidem, ac multo minus peragi possunt; e contra non videtur absurdum integra exercitia peragi omissa regni Christi meditatione, cum certe, quae in ipsa proferuntur ad contemplandam Christi vitam adminicula,

ab eo, qui tradit exercitia, in diversorum mysteriorum expositione opportune et efficaciter suggeri possint. Direct. XIX, 1 vocatur ea «*quasi* fundamentum, prooemium, summa ac compendium vitae Christi». Est tamen nostra meditatio non *merum* prooemium mysteriis praefixum, non merum compendium ea in breviorem formam redigens; sed verum adminiculum eorum contemplationem *iuvans* atque promovens, eo scil. quod praecipua quaeque momenta Christi vocationem commendantia inde ab initio sub unico aspectu proponat, obiectum et condicionem vocationis, quae ex mysteriis nonnisi successive et frustatim colligi possunt, clare atque succincte explicet. Imprimis vero regni Christi meditatio plenam rationem reddit *tertii sequentium mysteriorum praeludii:* «petere id, quod volo . . . cognitionem intimam Domini, qui pro me factus est homo, ut magis ipsum amem eumque (magis) sequar». Sane, ut hoc velimus, et serio velimus, et ardenter flagitemus, efficit primarie regni Christi meditatio, atque hinc in mysteria omnia feracissimum influxum exserit.

Vexillorum meditatio diserte proponitur tamquam «aliqua introductio huius rei», i. e. electionis status peragendae. Item *binariorum* meditatio asseritur tradi, «ut amplectamur optimum»; et clarius etiam in tertio praeludio eius obiectum enuntiatur: «postulare gratiam ad *eligendum* id, quod magis sit ad gloriam divinae suae maiestatis et salutem animae meae».

Ex quibus omnibus clarissime patet *electionem totius sacri secessus esse opus omnino principale, ad quod cetera omnia referantur*. Superest, ut singularum meditationum cum eo opere conexionem intimius perscrutemur.

n. 2. Et primum quidem de *fundamento* dicemus.

Quod si praeambulum ad electionem faciendam et documenta immediate sequentia pervolvamus, illud a sancto Patre inculcatum reperiemus, debere eam electionem fieri «debite et ordinate», «puram et mundam», «sanam et bonam» atque «sinceram», non vero «inordinatam et obliquam». Debite vero et ordinate fiet, quando «oculus intentionis nostrae est

simplex, *unice spectando finem,* ad quem creatus sum, scil ad laudem Dei Domini nostri et salutem animae meae. . . . *Nihil* debet me movere ad haec vel illa media assumenda aut ad ea relinquenda, nisi solum servitium et laus Dei Domini nostri et salus aeterna animae meae». Et rursum, in tertio electionis tempore considerare iubemur «*primo,* ad quid natus sit homo, scil. ad laudandum Deum Dominum nostrum et ad salvandam animam suam», seu, in primo electionis modo, puncto 4: «ad *solam* laudem Dei Domini nostri et salutem animae meae». Ib. in puncto 2 habetur: «*Necesse est tenere pro obiecto* finem, ob quem creatus sum, qui est, ut laudem Deum Dominum nostrum et salvem animam meam; *et simul* invenire me indifferentem, sine affectione ulla inordinata.»

Quae ultimae voces nobis suggerunt, quid apud sanctum Patrem veniat nomine electionis inordinatae et obliquae. Est illa eorum, qui «non recta tendunt ad Deum, sed volunt, ut Deus recta veniat ad ipsorum inordinatas affectiones, et consequenter ex fine faciunt medium et ex medio

finem» (praeamb.). Est electio, quae nequaquam fiat «absque affectionibus inordinatis», neque «sine admixtione carnis neque alterius cuiusdam affectionis inordinatae», seu «non accedendo ad carnem neque ad mundum» (ad accipiendam notitiam etc., puncto 3 et 4). Est electio, quae nequeat dici fieri «secundum maiorem motionem rationalem, et non secundum motionem ullam sensualem» (primus modus), uno verbo: est electio ab indifferentia aliena.

Ex quibus omnibus evidenter patet, quam intime *fundamentum* cum electionis negotio cohaereat: duabus quippe veritatibus de fine hominis atque de indifferentiae necessitate tota electio fundatur et superstruitur ita, ut, absoluta fundamenti consideratione, possent alicui continuo electionis regulae tradi, quin ad nexum quicquam desideraretur. Ceterum, non tantum monita electionem spectantia tota quanta fundamento superstruuntur, sed ipsum iam fundamentum, uti supra monuimus, electionis negotium indigitat illis verbis: «unice desiderando et *eligendo* ea, quae magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus».

n. 3. Electio, ex mente sancti Patris, in bonis tantum sive indifferentibus eligendis, non vero in malis repudiandis versatur: «Necessarium est, ut omnia, de quibus volumus electionem facere, sint indifferentia aut bona in se . . . et non mala.» Malorum autem repudiatio, ex verbis annot. 1: «et postquam quis eas sustulerit», electionis praevia est atque *meditationibus primae hebdomadae* absolvitur. Praevia est, inquam, verum subsequentem vitae in futurum per electionem ordinationem usque praemonstrat.

Sic meditatio *de triplici peccato* tota in pudore excitando versatur, quo tamen iuvemur non solum ad praeterita abhorrenda peccata, sed imprimis etiam ad vitam pro futuro tempore ordinandam: «quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid *agere debeam* pro Christo», quae postrema colloquii verba praeter sinceram praeteritorum confessionem sane etiam ulterius aliquid praestandum suggerunt. Similiter meditationis *de peccatis propriis* apex in «proponendo *in posterum* emendationem» (colloq.) cernitur; et *tertii exercitii* colloquium, post

petitam primo loco praeteritorum detestationem, ilico ad prospiciendum etiam magis directe tempori futuro gressum facit: «ut sentiam deordinationem operationum mearum, ut eam abhorrens me emendem meque *ordinem*», ipsam vocem usurpans, quae in libri titulo habetur. Atque inde ad illas affectiones directe supprimendas descendit, quas inordinatae electionis causas esse supra agnovimus, tertio petens «cognitionem *mundi,* ut illum abhorrens res mundanas ac vanas a me removeam». Meditationis tandem *de inferno* praeludium alterum totum quantum versatur in peccato pro futuro excludendo.

n. 4. Regni Christi meditatione quattuor praeprimis efferuntur: Christi regis consilium, sequelae condicio, motiva atque gradus. Consilium, condicio, motiva viam sternunt ad perfectiorem sequelae gradum electione amplectendum, atque sic et ipsa electioni subserviunt.

Consilium Christus aperit illis verbis: «Mea voluntas est subicere totum mundum et omnes hostes, et sic intrare in gloriam Patris mei.» Quae verba scribens

sanctus Pater habebat sane prae oculis Lc 24, 26: «Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?» Hostes in puncto 3 nominantur «propria sensualitas, amor carnalis et mundanus», seu uno nomine «mundus» (cf. 1 Io 2, 16), uti cum ex Reg. Summ. 11, tum ex colloquio tertii exercitii primae hebdomadae, quae duo huc omnino referenda videntur, colligere licet. Hostibus agnitis ilico clarescit, quis sit expeditionis campus. Hostes illi non regionum tractus, sed hominum corda infestant; non in aliorum solummodo, sed in nostris etiam cordibus latitant, hinc primum omnino exturbandi. Non ita Christus mundum universum subicere intendit, ut singulos proxime ad alios, quin potius ad se ipsos vincendos invitet, secundum aureum Imitationis Christi l. 2, c. 1 effatum (cf. Lc 17, 21): «Regnum Dei intra vos est.» Subiciuntur autem illi hostes, quatenus inordinati motus amoris carnalis et mundani reprimuntur. Subicit illos Christus in nobis, sua gratia nostros adiuvans conatus; subiecit in se ipso, non utique inordinatos, quibus ipse carebat, reprimens motus, sed «agens

contra» atque paupertatem et opprobria liberaliter suscipiens et ita sibi promerens gloriam. Subicere autem illos Christus in nobis non potest sine nobis; quare consilii eius altera pars eaque omnino essentialis est, ut veniamus cum eo, ut eum sequamur in hostibus illis debellandis. Unica *sequelae* voce Christi consilium exprimi potest.

Sequelae *condicio* clare enuntiatur his verbis: «Qui voluerit venire mecum, debet mecum laborare, ut sequens me in poena, etiam sequatur me in gloria»; clarius etiam prioris partis verbis: «Qui voluerit mecum venire, debet contentus esse cibo, quo ego utar, itemque potu et vestitu etc.; similiter debet laborare, ut ego, interdiu et vigilare noctu etc.; ut ita dein particeps mecum fiat victoriae, sicut fuerit laborum.» Ubi adverte aequissimae proportionis tesseram, S. Ignatio perfamiliarem: «ita ... sicut», cui correspondet in fundamento «tantum ... quantum», de reformatione vitae «tantum ... quantum», Reg. 4 ad vict. temp. «quanto ... tanto», Reg. Summ. 19 «quanto ... tanto». Verba autem primae partis allata ilico in me-

moriam revocant Reg. Summ. 11: «indui eadem veste ac insignibus domini sui, pro ipsius amore ac reverentia . . . eo quod exoptant assimilari ac imitari aliquo modo creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum eiusque vestibus et insignibus indui».

Sequelae *motiva* alia in prioribus, alia in ultimo puncto suggeruntur. Ibi insistitur solis *aequitatis* et *honestatis* rationibus, correspondentibus pudoris motivo, in peccatorum consideratione primo loco proposito. Ostenditur autem illa aequitas et honestas cum argumento extrinseco, adducta comparatione regis temporalis: «Si talem vocationem regis temporalis consideratione dignam existimamus, quanto magis res est digna consideratione» etc.; tum argumentis intrinsecis. Quae desumuntur ex persona invitantis, qui est «Christus Dominus noster»; ex eiusdem dignitate «regis», et quidem «aeterni», cuius ergo auctoritas divina sit, aeternitatem respiciat, «universum mundum» comprehendat; ex eiusdem «liberalitate et humanitate» (pars 1, punctum 3), «petentis», ubi iubendi est potestas, subeuntis

pugnam, qua salva sua gloria abstinere posset, adorientis hostes, qui nostri sint nostramque in discrimen vocent aeternam salutem. Accedit propositae expeditionis iustitia, nobilitas, necessitas, condicionis generositas, praemii excellentia. Claudit agmen argumentum a contrario petitum, stultos scil. et viles habendos fore eos, qui sequi Christum recusaverint: «Omnes, qui habuerint *iudicium* et *rationem,* offerent se totos ad laborem», et: «Si quis non acceptaret, dignus esset, qui *vituperaretur* ab universo mundo et *perversus haberetur eques*.» Quae omnia honestatem proxime et aequitatem sequelae inculcant.

Ultimum punctum altius supponit motivum «maioris affectus», i. e. *amoris* erga Christum regem, correspondens motivo contritionis perfectae, quod meditatio de peccatis propriis generat. Unde oritur desiderium «*insignem* se exhibendi in *omni* servitio sui regis», ipsum «*imitandi* in ferendis *omnibus* iniuriis et *omni* vituperio et *omni* paupertate», ergo desiderium arctissimae sequelae. Quod licet per se ex magni etiam praemii appetitu nasci queat, generatim tamen, et tunc maxime,

quando habituale actionum motivum esse supponitur, fructus sit oportet purissimi amoris amicitiae. Neque alio unquam modo ea res a sancto Patre concipitur, uti patet ex Reg. Summ. 11, ex tertio mysteriorum secundae hebdomadae praeludio, et ex sequelae gradibus iamiam accuratius perpendendis.

Ergo Christi vocatio illud intendit, ut veniamus cum Christo, ut laboremus cum ipso, ut sequamur ipsum in poena et laboribus et inde etiam in gloria. Sed duplici *gradu* ea praestare possumus, vel ut tantummodo offeramus nos «totos ad laborem», vel ut, ulterius progressi, exhibeamus nos «insignes in omni servitio regis aeterni». Quid haec duo sibi volunt?

Sane nostra haec meditatio in meditante non demissiores supponit sensus iis, quos in prima hebdomada hauserat, qui erant odium sincerum peccati tam mortalis quam venialis mundique illecebrarum, et seria indifferentiae adipiscendae voluntas. Supponit igitur meditantem non in primo solum, sed in secundo humilitatis gradu affectu saltem consistentem, atque hanc, ad minimum, animi dispositionem ex-

primunt illa nostrae meditationis verba: «offerre se totos ad laborem», secus infra sensus praecedentibus exercitiis stabilitos delabi dicenda erit nostra meditatio. Neque vero sublimiorem aliquam animi dispositionem exigunt primum et secundum applicatae parabolae punctum; quod si enim hoc iam loco sublimius aliquid statuatur, quidnam id erit nisi tertius humilitatis gradus; quo sic praeoccupato, quid tertio tandem puncto superaddendum restabit? Tertius siquidem humilitatis gradus universae, ex mente sancti Patris, perfectionis apex est. Et ille gradus ultimo meditationis puncto atque colloquio indubie exprimitur, in quibus meditans seriam suam voluntatem affirmat imitandi Christi Domini «in ferendis omnibus iniuriis, et omni vituperio, et omni paupertate, tam actuali quam spirituali».

Ergo ipsa regni Christi meditatione tertius nobis humilitatis gradus suggeritur, quae forte aliqua etiam ratio est, cur eos gradus sanctus Pater non in forma distinctae meditationis suo loco proponat. Iam vero si regni Christi meditatio «iuvare»

nos debet in tota mysteriorum vitae Domini meditatione nobisque quid maxime in ea intendendum sit indicare, ergo omnis vitae Christi contemplatio ad imitationem non aliqualem, sed tertii humilitatis gradus dirigitur; ergo haec ipsa, licet minus explicite, postulatur verbis illis tertii praeludii, nunquam per secundae hebdomadae mysteria mutandi: «ut *magis* ipsum amem eumque *magis* sequar». Doctrina vero de tribus gradibus ipsa tota quanta *electionis* negotio subservit: «Antequam quis ingrediatur in electiones, ut afficiatur ad veram Christi Domini doctrinam, multum iuvat considerare et advertere ad tres sequentes modos humilitatis.»

Ambigat quis, suggeraturne hic etiam *apostolica* Christi sequela, ut cum eo laboremus non in subigendo nostro solum corde, sed in aliis insuper Christo subiciendis. Implicite ea suggeritur non tam in solemni oblatione, cui etiam satisfacit sequela Christi in religione contemplativa, quam in desiderio insignem se exhibendi in omni Christi servitio; spectat autem vita etiam apostolica ad eius servitium, saltem in iis, quos ipse ad tale servitium vocaverit. Tamen non omnes hoc iam loco erunt de apostolica se-

quela monendi, sed stabiliendi in generoso Christi amore et generali voluntate illum imitandi.

n. 5. Vexillorum meditatio, uti monebamus, traditur «pro aliqua introductione» electionis. Vult nos docere sanctus Pater, «quomodo nos debeamus disponere, ut veniamus ad perfectionem in quocumque statu seu vita, quam Deus Dominus noster eligendam nobis dederit». Ad quem finem nobis proponit «intentionem Christi Domini nostri, et ex adverso (oppositam intentionem) inimici naturae humanae».

Ergo duo nobis perpendenda sunt: quae sit Christi *intentio,* quae illa ex parte nostra requisita *dispositio.*

Intentio idem sonat atque consilium, consilium inquam universum, complectens tam terminum quam viam, tam apicem quam gradus, tam finem quam finis assequendi methodum.

Finis, quem Christus intendit, «*perfectio*» est christiana, quae «in quocumque statu seu vita» attingi possit; nequaquam enim meditatio solum evangelicae perfectionis statum respicit, quin potius «Christus vocat *omnes* sub suum vexillum».

Christiana perfectio (habitualis) possessione omnium habituum supernaturalium constat, seu complectitur «*omnes virtutes*» (cf. verba colloquium immediate praecedentia). Virtutes intellige non infimo veluti gradu atque nudas, sed assiduo iam exercitio et in suo esse supernaturali auctas et acquisita facilitate ad actum proxime expeditas. Ad quem perfectionis apicem Christus nos evehere nititur «*tribus gradibus*»; quorum supremus «*humilitas*» est, inducens «ad omnes reliquas virtutes», medius «*desiderium opprobriorum*», infimus «*paupertas spiritualis*», ex qua, supposita Dei vocatione, suapte natura sequitur professio paupertatis etiam actualis.

Quaeres, haec doctrina quomodo cum ea concordet, quae de tribus humilitatis gradibus traditur. Ibi paupertatis et opprobriorum sufferentia, et consequenter etiam eorundem desiderium tamquam gradus *intra* humilitatem, immo tamquam eius virtutis apex proponuntur; hic eadem tamquam gradus *infra* ideoque *extra* humilitatem recensentur. Solutio ea est, tres humilitatis modos intelligi *habitus*, non actus; at quaevis, uti patet, sui sub Dei legem vel consilium formalis submissio, ergo etiam paupertatis et oppro-

briorum propter Christum susceptio, in humilitate fundatur et, si habitualis submissio sit, humilitatis habitum supponit et includit. Sed in vexillorum meditatione sanctus Pater de iis *actibus* tractat, qui gradus sint ad humilitatis habitum acquirendum; qui actus, licet actualem ipsi quoque humilitatem supponant et includant, habitualis tamen humilitas certe non sunt, sed solum gradus ad illam obtinendam. Quod clarius ex prioris quam ex secundae vexillorum partis expressionibus colligitur. Nam «tentari cupiditate divitiarum» actus est, non habitus; similiter «vanus mundi honor» habitus non est: «superbia» vero habitus utique est. Unde in altera etiam parte «paupertatem spiritualem et actualem» atque «desiderium opprobriorum» actus licebit intelligere, non habitus. Sane habituale opprobriorum desiderium a perfectissimae humilitatis habitu nullo pacto discerni potest. — In vexillorum tandem colloquio tam habitus quam actus indiscriminatim postulantur, unde non erat diserte petendus habitus humilitatis, quippe qui unum idemque esset cum aliis illis habitibus.

Ergo summa intentionis Christi haec est, actus paupertatis et humiliationis viam, ut plurimum, esse ad habitum hu-

militatis et inde ad omnem virtutem acquirendam. Estque haec doctrina fere eadem, quae traditur Ex. Gen. c. 4, n. 28; Const. P. 3, c. 1, n. 22; Reg. Summ. 13 et 19.

Dixi: ut plurimum. Non enim semper ea via gratia procedit. Quod colligere licet ex verbis, quibus opposita Luciferi intentio describitur. Ibi avaritiae tentatio dicitur locum habere non in omnibus, sed «prout solet ut in pluribus», et esse gradus non simpliciter necessarius, sed «quo facilius perveniant ad vanum honorem mundi». Reapse daemon persaepe, omissa avaritiae tentatione, ilico a vanitatis et ambitionis tentatione orditur; saepe non ad superbiae peccatum, sed ilico ad aliud aliquod vitium pertrahit. Atque similiter habet intentio Christi: non necessario semper humilitas prior omni alia virtute adest, non necessario mediante semper humilitate ad alias virtutes pervenitur. Secus enim humilitas illud esset, ad quod unusquisque in sua vita spirituali prae reliquis omnibus adniti deberet; at res non ita se habet, cum potius cuique prae ceteris omnibus adnitendum sit exstirpationi sui vitii capi-

talis et acquisitioni oppositae virtutis. Ergo meditatio illud solum intendit, primum ut nos doceat, qua ratione, ut plurimum, Lucifer in perdendis, Christus in sanctificandis animabus procedat, qui agendi modus illius ingenio, quive huius sanctissimo Cordi sit maxime conformis; secundo, ut inde nos inducat, ut in nostra electione eum Christi spiritum prae oculis teneamus, a Luciferi fraudibus nobis caveamus; ut in eligendis mediis, quibus nostrum capitale vitium impugnemus, ea semper, quae Christi paupertatem et humilitatem sapiant, praeferamus; ut in eligendo maxime vel reformando vitae statu Luciferi fraudes declinemus, Christi spiritu regamur atque ita tandem, si nos Deus ad statum evangelicae paupertatis eligere dignetur, eius vocationi tanto alacrius obsequamur. Non ideo nobis Christi intentio proponitur, ut semper et in omnibus ordine ibidem descripto procedamus, sed ut paupertatem et humiliationes adamemus easque, ubi se obtulerint, amplecti sollicite festinemus. *Atque haec est dispositio, quam in nobis generare vult haec meditatio.*

Haec igitur dispositio obiectum est generalis Christi vocationis: «vocat omnes», quae eadem utique est atque regni Christi vocatio, rem tamen ipsam longe distinctius enuntiat, cum ibi generatim tantum sequela poscatur, paupertas spontaneae ac liberali oblationi relinquatur, dum hic ipsa paupertatis, saltem spiritualis, professio a Christo duce explicite suggeritur. Hinc etiam, quae in nostra hac meditatione proponuntur argumenta, non qualemcumque, sed pauperis humilisque servatoris sequelam commendant. Sunt ea:

1. argumentum horroris a contrario, a divitiis scil. et honoribus, exhibitis nobis, qua «fraudes» sunt, «retia» et «catenae». Quod argumentum, licet speculative sit forte haud ita stringens, practice in cordis humani affectus paene invincibilem exserit influxum; semper quippe sincerus rei horror ad oppositae rei amorem et studium perducit, idque eo certius, si haec aliunde sit summopere commendabilis. Accedit

2. argumentum conexionis practice necessariae inter humilitatem, quam appetere supponimur omnes, et affectum ad paupertatem et humiliationes; quarum trium rerum coniunctione consistat «vita vera», veritate fruens omnis «fraudis» experte, et libertate «retium» et «catenarum» omnino ignara. Illa

vero conexionis necessitas, cum magis etiam in punctis ex Christi commendatione et exemplo quam ex ipsa rei natura atque experientia eruatur, partim refunditur

3. in argumentum amoris Christi et ex eo consequentis desiderii, ut Christo conformemur. Plura hic ex motivis meditationis regni Christi rursum attinguntur. Accedunt praeterea:

a) motivum «amabilitatis», ex consideratione tam personae Christi quam variorum eius personae adiunctorum, quod non parum augetur opposita foeditate Luciferi;

b) Christi officium, ut sit amicus humanae naturae, quod colligitur ex opposita Luciferi appellatione «inimici humanae naturae»;

c) Christi irrestricta liberalitas, vocantis quemque, si modo cooperari digne velit, «ad *summam* paupertatem spiritualem», ergo etiam ad excellens omnino opprobriorum desiderium excellentemque humilitatem, dum Lucifer rursum seducere conatur «ad *magnam* superbiam». Stimulat autem ea meditantem conscientia, se non ad vulgarem quandam, sed ad maxime genuinam atque nobilem sanctitatem vocari.

n. 6. Binariorum meditationem directe electionis negotium respicere, uti superius monuimus, ex ipso titulo atque tertio

praeludio, et etiam ex notando colloquio adscripto perspicitur. Proponit ea nobis tres dispositiones, ad quarum tertiam eligentis animum elevare adnititur. Hae igitur dispositiones nobis accurate definiendae sunt.

Eadem est trium binariorum seu classium condicio. Primum «unaquaeque earum classium acquisivit decem milia ducatorum, non pure ac debite propter amorem Dei», non tamen iniuste, secus enim tota quaestio in restitutionis obligationem resolveretur. Secundo, ex ea possessione, inordinata affectione rei acquirendae incohata, sponte nata est inordinata «affectio rei acquisitae». Tertio, «volunt omnes se salvare et invenire in pace Deum Dominum nostrum». In cuius salutis et pacis assecutione, quarto, illa rei acquisitae inordinata affectio «ponderis et impedimenti» rationem assumit: ponderis scil., quod animam ad perfectiora evolare conantem deorsum trahat; impedimenti, quod eam progredi nitentem retardet vel omnino sistat, vires exhauriat, animum deprimat. Nec solum praesenti suo influxu ea affectio omnem animi progressum retardat, sed praeteritorum etiam suorum effectuum perdurantia; etenim mirum quantum animo deicitur homo atque progressu retardatur; dum conscius sibi est et

culpas se antea e tali affectione admisisse, necdum satis velle id quod vult Deus, ideoque cariturum utique esse uberiore divino auxilio, quod plenam sui resignationem consequi consuevit. Hinc, quinto, patet omnes tres classes consentire in aliquo desiderio eius ponderis et impedimenti, seu, quod idem est, eius affectus removendi. — Verum in ratione, qua istud desiderium opere explere conantur, tres classes longissime inter se differunt.

Prima classis vult invenire Deum in pace, vult tollere affectionem inordinatam, «et non ponit media usque ad horam mortis»; ex qua inertia ipsa illius propositi inanitas patescit, quod «velleitas» revera est, non voluntas. Manet vero hanc classem in hora mortis integra responsabilitas, atque post mortem omnes suae desidiae sequelae.

Altera quoque classis vult invenire pacem, ideoque vult tollere illum affectum, vultque ad hunc duplicem finem aliqua adhibere media; sed simul omnino vult retinere rem acquisitam, quae affectum illum generat et fovet. Hinc resolvit amplecti media quaelibet, sola rei abdicatione excepta, etiamsi hanc abdicationem

«optimum» et fortasse unice efficax medium esse intelligat. Ea classis salutem vult non unice, sed tantum cum addito, non absolute, sed solum condicionate. Absolute unicum appetit obiectum, ut rem scil. acquisitam retineat, reliqua nonnisi condicionate, scil. si retenta re obtineri possint. Deum propriamque salutem subordinat rei illi retinendae; non considerat eius rei sive retentionem sive renuntiationem tamquam medium, «ut ad Deum eat»; non ipsa Deum statuit unicum suae tendentiae terminum, sed eum potius optat ad se atque ad rem illam descendere, condicione accepta. Quae propriae salutis efficiendae et excutiendae affectionis inordinatae voluntas, licet forte aliqua media reapse adhibeat, non sincera est, sed fucata, et prorsus contraria sensibus in fundamento, in regno Christi atque in subsequentibus exercitiis conceptis.

Tertia classis vult invenire pacem, hinc vult tollere illum affectum, et quidem hoc vult absolute, parata quaevis adhibere media, ipsa rei abdicatione non excepta. Unde quoad hanc in statu versatur in-

differentiae: «vult solum velle illam vel nolle, prout Deus Dominus noster ipsi dabit velle, et prout personae tali melius videbitur ad servitium et laudem divinae suae maiestatis»; et hinc, cum facilius indifferentia observetur in re non habita «*sumenda* vel relinquenda», quam in re acquisita «*retinenda* vel non retinenda», haec tertia classis — «interea», i. e. donec divinum beneplacitum innotuerit — ilico «vult» seu adnititur «affectu» ea se re abdicare, quin immo «reputare» seu animo fingere, se eam iamiam actu relinquere, ita ut sua amplius non sit, sumenda, si Deo ita placuerit, non retinenda. Haec vero animi dispositio ea est, quam in titulo meditationis sanctus Pater significat his verbis: «ut amplectamur optimum.»

Ergo meditatio illud intendit, ut in primo puncto intelligat qui facit electionem, omnino aliquid esse praestandum; in secundo, non sufficere media quaedam inefficacia, quae vera media non sint; in tertio, sola sufficere media integra, generosam inquam saltem affectus abdicationem ad finem propositum attingendum, ut dein his intellectis se ipsum *examinet,*

quomodo respectu mediorum eligendorum sit affectus, et ubi optima illa dispositione se nondum animatum deprehenderit, ut eidem omni vi et assidua oratione adnitatur. Primum punctum expungit inertiam, secundum duplicitatem, tertium in eorum locum substituit generositatem.

n. 7. Tres humilitatis modi non sunt, ex verbis sancti Patris, per modum meditationis proponendi, sed «considerandi identidem per totam diem», adiectis colloquiis. Atque revera, nequaquam novam aliquam materiam proponunt, sed qui ex antecedentibus exercitiis, regni Christi imprimis et vexillorum meditationibus, fluxerat quique sequentibus etiam mysteriis inculcatur principalis fructus, eum hi tres modi resumunt et in brevem formulam redigunt.

Unum in illis novum, dum regni Christi et vexillorum meditationes solum tertium modum tamquam rem excellentem proponant, Christi exemplo et suasione commendatam, tres modi rem explicant comparatione aliqua: tertius modus est optimus e tribus. Ibi proponebat meditans: Volo perfecte sequi

Christum. Hic proponit: Volo sequi Christum non eo solo modo, qui est «necessarius ad salutem aeternam», neque eo, qui solum est «perfectior», sed eo, qui est «perfectissimus». Quae comparatio perutilis est, non tamen visa est S. Ignatio speciali meditatione, sed repetita breviore consideratione inculcanda.

«Per totam diem» non idem sonat atque unica die. Electionis exspectandum «tempus», quod quandoque exspectandum erit diebus uno pluribus: ei certe toti intervallo videtur S. Ignatius attribuisse inter quinque quotidiana exercitia considerationem modorum. Non quartae diei, quae eandem fere materiam meditationibus de vexillis et de binariis pertractat. Neque ideo die quarta, quia die quinta dicitur «incohari materia electionum», deinde, «antequam quis ingrediatur in electiones», dicuntur considerandi esse tres modi. Non idem est «incohare materiam electionum» et «ingredi in electiones». Ingrediendum in electiones non antequam eius rei «tempus» advenit. Incohatur materia electionum «quinta die» explicata indole electionis, eius temporibus et modis, atque identidem quotidie perpensis modis humilitatis.

Est autem haec sancti Patris mens, ut modorum consideratio fermenti instar

totas subsequentes contemplationes pervadat et ita, mediantibus illis contemplationibus, electionem inspiret. Is quippe eius scopus est, «ut afficiatur (exercitans) ad veram Christi Domini nostri doctrinam» — ad veram, i. e. completam ideoque difficultatibus quibusque parem doctrinam, seu ad «vitam veram», uti de vexillis appellatur.

Humilitatis *modi,* aeque ac ipsa humilitas, proxime habitus sunt, non actus. Quod clarissime his secundi modi verbis enuntiatur: «Si ego in tali me puncto inveniam, ut» etc.; siquidem constitutum esse in puncto aliquo non actum denotat, sed habitum seu statum. Vocantur autem modi, quod sint variae manifestationes eiusdem virtutis. Sed cum ulterior quisque modus praecedentem supponat et perfectione transcendat, recte etiam gradus appellantur.

Vocantur autem modi *humilitatis.* Quae virtus definiri potest affectus moderatus sui, seu in homine constanter ad elationem prono sui demissio. Unde eas expressiones sanctus Pater synonymas habet: «quod ita me demittam et ita me

humiliem». Quae sui demissio exercenda est respectu superiorum, aequalium, inferiorum; et variis perfectionis gradibus exercebitur respectu trium harum classium pro variis gradibus suae intrinsecae et specificae perfectionis in genere humilitatis. Primarie tamen et maxime genuina ratione semper exercenda erit respectu superiorum, imprimis Dei ipsius. Quaenam enim iustior esse potest sui demissio quam ea, quae respicit legitimam, immo divinam auctoritatem? Hinc, secundum mentem sancti Patris et practicam rerum rationem, hominis sub divinam voluntatem subordinatio seu oboedientia latissime sumpta pars est humilitatis, quippe quae sit eius fructus primarius et maxime genuinus, eademque mensuram praebet diversorum humilitatis modorum.

Haec humilitas «actu» manifestatur per hoc, ut homo sua commoda postponat commodis Dei seu Dei obsequio. Commoda propria effert sanctus Pater «dominium omnium rerum creatarum in hoc mundo», «propriam vitam temporalem», «omnes res creatas», quibus opponuntur incommoda vitae iactura, paupertas, opprobria.

Igitur primus modus constat ea habituali voluntate obsequendi Deo, «ut non veniam in deliberationem» committendi peccati mortalis; quod est aliquid plus quam, ut non committam peccatum mortale: excluditur quippe etiam deliberatio non plane deliberata committendi peccati mortalis. Est ea autem habitualis voluntas obsequendi Deo «in omnibus», non obsequendi in sola materia gravi, cum habituali indifferentia quoad peccatum veniale seu, quod peius esset, cum habituali inclinatione ad committenda peccata venialia. Sed interna dispositio minus robusta imperfectiore manifestatur externo effectu.

Secundus modus est humilitas eadem ad maiorem perfectionem evecta accedente indifferentia. Scil. dispositio illa serviendi Deo fundamentum habet veritatem de fine hominis; sed eius veritatis necessarium corollarium est indifferentia seu temperantia latissime sumpta. Ergo humilitas habens indifferentiam est etiam «perfectior humilitas». Huius modi effectus is est, ut nullis propositis commodis vel incommodis «in deliberationem veniam» committendi peccati venialis.

Erit igitur expressio coordinativa «itemque ut» synonyma expressionis consecutivae «adeo ut», quae in primo modo scribitur.

Tertia humilitas constat perfectiore illa oboedientia seu illo obsequio, quod praestatur non «legi Dei» solum seu «mandato», sed cuilibet divino beneplacito, quod non obligat sub peccato, imprimis divino beneplacito ut imitemur Christum non generaliore modo tantum, sed in omnibus. Quam voluntatem necessario consequitur habitualis inclinatio ad propria incommoda, ad paupertatem et opprobria.

Supponitur porro is, qui exercitia facit, hanc «perfectissimam humilitatem» «velle obtinere». A qua per se nullus vitae status excluditur; unde ad eam neque specialis divina «electio» requiritur. Verum extrema sententia sanctus Pater sermonem applicat ei rei, cuius gratia h. l. modos proponit, electioni status. Igitur medium obtinendae tertiae humilitatis, non unicum sed utique efficacissimum, hoc est: petere a Deo, «ut velit ipsum eligere ad hanc tertiam humilitatem» non qualivis modo,

sed ipso vitae statu profitendam seu, uti de regno Christi dicitur, ut velit ipsum «eligere ac recipere ad talem vitam et statum».

Primus modus non solum est minus perfectus quam secundus modus, sed positivam habet imperfectionem: ut scil. solum pertingat ad excludendum peccatum mortale, imperfectio est.

Unde ea imperfectio? Quia is, qui primo solum modo est humilis, id solum quaerit, quod est «ad salutem necessarium» seu quod gehennam excludit: alio modo, quia motivum propter quod se humiliat est motivum timoris.

Solum motivum, quod excludit peccatum mortale et non ita excludit peccatum veniale, est motivum *timoris* correspondens meditationi de inferno. Secundo modo, sicut ipsi fundamento, correspondet motivum *iustitiae, aequitatis, honestatis;* tertio modo motivum *amoris*, quod magis proprium est meditationis regni Christi et sequentium mysteriorum. Distinguuntur ergo tres modi obiecto simul et motivo: primus est oboedientia ad salutem necessaria e motivo timoris, secundus est oboedientia perfecta e motivo iustitiae; tertius est perfecta conformatio beneplacito Dei e motivo amoris.

Porro illi tres humilitatis modi nequaquam sunt ab invicem penitus separati, sed revera sunt *gradus,* quorum inferior non condicio tantum est, sed efficax medium superioris attingendi. Siquidem inferior quisque gradus superioris gradus obiectum suo etiam motivo quadamtenus praeoccupat et ita ad idem obiectum postmodum ex nobiliore motivo plenius assequendum viam sternit: sic timor ad excludendum etiam peccatum veniale pertingit; sequi Christum pauperem sane etiam est honestum, saltem condicionate, i. e. ex hypothesi Dei ad eam sequelam eligentis. Rursum inferior gradus superioris adminiculum exigit, ut suo obiecto firmiter et stabiliter potiatur. Sic in primo gradu nemo perstare potest, nisi simul ad secundum ascendere nitatur, secundum illud: «Quapropter necesse est *facere* nos indifferentes.» Perfecta secundi gradus indifferentia longiore tempore vix perseverabit incolumis, nisi amoris etiam Christi motivo animetur. Ipse timor, quem sanctus Pater intendit, profecto non est timor serviliter servilis omnisque amoris expers.

Humilitatis modi considerari possunt in *affectu* et in *effectu.* Duo modi priores nullam annexam habent condicionem neque in affectu neque in effectu: peccatum

tam mortale quam veniale vitandum, indifferentia observanda absolute, non addita condicione, «ubi fuerit laus et gloria divinae maiestatis». Aliter res se habet respectu tertii modi, qui cum materiam non mandati, sed consilii respiciat, neque consilii omnibus, sed quibusdam solum divina electione et vocatione dati, necessario condicionatus est in affectu («dum modo aequale aut maius fuerit servitium divinae maiestatis»), at absolutus in effectu; quippe in effectum traduci a sanae mentis homine non potest, nisi constiterit prius de condicione impleta. Hinc rursum tertius modus in affectu omnibus cuiusvis condicionis christianis patet, qui omnes in suo quisque statu perfectionem sectari, Christum amare, paupertatem spiritualem profiteri possunt; ut autem in effectum traducatur, exigit divinam electionem et vocationem. Quare dicit S. Ignatius exercitantem debere petere in colloquio, «ut Dominus noster velit ipsum eligere ad hanc tertiam humilitatem».

Igitur finis, ob quem sanctus Pater doctrinam de tribus modis proponit, non is est, ut nos ad primum vel secundum

modum profitendum tandem pelliciat, id enim dudum factum esse iuremerito supponit: sed ut ad tertium nos manuducat, aptissimam scil. electionis peragendae dispositionem. Quae dispositio de se solo utique affectu consistit. Verum affectus ut sit genuinus, necessario etiam desiderium effectus includere debet, desiderium inquam condicionatum, si Deo effectus placuerit. Hoc rursum desiderium genuinum esse nulla re evidentius demonstratur, quam si quis Deo directe etiam supplicet, ut se eligere dignetur ad tertiam humilitatem non affectu solum, sed etiam effectu profitendam. Immo etsi desiderium supponatur primum non fuisse plane sincerum, at eiusmodi supplicandi ratione, accedente praesertim quae supplicantibus adesse consuevit divina gratia, sincerum evadet atque genuinum. Simul autem sanctus Pater eum, qui exercitia facit, optime disponit non solum ad bonam universim electionem faciendam tertiique modi affectum concipiendum, sed ad eundem insuper etiam effectu profitendum et ad statum perfectionis consiliorum Deo vocante amplectendum.

In tertii humilitatis gradus, quae variis locis occurrit, professione quaedam habetur expressionum discrepantia. Colloquium vexillorum habet: «dum modo possim eas tolerare absque ullius peccato et absque disgustu suae divinae maiestatis»; cum quo congruit Reg. Summ. 11: «si sine offensione ulla divinae maiestatis et absque proximi peccato foret». In tertio humilitatis gradu duae recurrunt formulae: «ubi *aequalis* fuerit laus et gloria divinae maiestatis», et: «si *aequale aut maius* fuerit servitium et laus divinae suae maiestatis»; quae duae formulae, quippe quae eodem loco eandem rem exprimant, evidenter sunt synonymae. Regnum Christi habet: «dum modo sit *maius* servitium tuum et laus tua». Post binarios indeterminate ponitur: «dum modo sit servitium et laus divinae eius bonitatis». Sane hae formulae omnes idem sonant. Quoties, si adiuncta solum attendas, *aequalis* fuerit Dei gloria sequi Christum pauperem aut non sequi, toties, ipsa hac sequela secundum intrinsecam suam excellentiam considerata, *simpliciter maior* erit Dei gloria sequi Christum; idque multo magis, si solis attentis adiunctis gloria Dei non aequalis solum, sed *aequalis aut maior* fuerit. Erit autem saltem aequalis, quoties nullum omnino suberit peccatum, nulla divinae maiestatis offensio.

n. 8. Perpendenda nobis est in his omnibus eximia S. Ignatii ars in iis, quae naturae maxime sunt ardua, gradatim tantummodo revelandis. Igitur totae hae tres regni Christi, vexillorum, binariorum cum tribus humilitatis modis meditationes ad negotium electionis immediate referuntur. Supponit scil. sanctus Pater eum, qui usque ad hoc sacri secessus punctum progredi permittitur, talem esse, «a quo speretur multum fructus» (annot. 18), quique ad statum perfectionis evangelicae ineundum de se utique non sit ineptus. Optime vero novit sanctus Pater eum statum esse *consilii,* quod neque de se hominem obliget, neque ad omnes dirigatur, sed ad eos solos, quos Deus ad eum statum *vocaverit.* Quam divinae vocationis condicionem tantum abest ut sanctus Pater ignoret, ut eandem potius constanter inculcet, bis scil. in regno Christi et in vexillis, semel in binariis et modis. Errant profecto, qui praetendunt omnes a sancto Patre, qui exercitia peragant, in religionem compelli. Quod autem sanctus Pater in omnibus, quos in sanctis exercitiis ulterius procedere permittit, excitare om-

nino studet, est *voluntas condicionata perfectionis evangelicae* amplectendae, scil. si Deus vocaverit. Quae voluntas licet et ipsa non legis sit, sed consilii, tamen omnibus patet neque specialem supponit Dei vocationem. Haec autem voluntas eadem est atque *tertius humilitatis gradus*, quem *proponunt* meditatio regni Christi, colloquia vexillorum et binariorum, tandem tradita trium modorum doctrina. In quo proponendo et explicando omnino gradatim procedit S. Ignatius.

Sane tertius humilitatis gradus quadamtenus ipso iam fundamenti ambitu concluditur, cum spiritualis paupertas atque humiliationum amor semper «magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus»; item fundamenti consideratio aptissima est ad amorem inflammandum, quod patet comparatione meditationis de amore Dei. Attamen tertii gradus in fundamento sanctus Pater mentionem non facit, amoris motivum non suggerit, ultra indifferentiam non progreditur, quae sit postulatum sanae rationis omnisque veri nominis felicitatis indispensabile praerequisitum. In peccatorum postea meditationibus perfectam insinuat contritionem et caritatem, animum inducit ad firmum pro-

positum indifferentiae quantocumque demum oportuerit pretio servandae.

In ipsa regni Christi meditatione sanctus Pater primum aequitatis, honestatis, necessitatis argumenta repetit et auget, propositum indifferentiae confirmat, in praeludio altero tertium gradum explicite postulandum non effert, in comparatione regis temporalis illum distincte non praefigurat; nonnisi ultimo tandem puncto explicite illum statuit, sed per modum appendicis, temperatum iis omnibus, quae praemiserat, honestatis atque amoris argumentis, neque absolute iam exposcendum, sed condicionate tantum: «dum modo sit maius servitium tuum et laus tua . . . si maiestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam et statum». Desiderat, ni fallor, sanctus Pater hoc loco tertium gradum solum «cum brevi vel summaria declaratione» proponi, ut inde exercitans «sive per propriam ratiocinationem, sive in quantum intellectus divina virtute illustratur» (annot. 2), profundius rem penetret pleniusque eam gustet.

Quod sanctus Pater in regni Christi meditatione tam prudenter suggesserat, id in se-

quentibus colloquiis usque urget, sed gradatim omnino. Quae colloquia utique tota versantur in eo, ut anima in tertio humilitatis gradu firma stabiliatur. In fine igitur meditationis regni Christi invitatur is qui facit exercitia, ut ad profitendam vitae statu paupertatem actualem *offerat se sponte, sed condicionate,* supposita scil. divina vocatione; in colloquio vexillorum, ut eandem *expetat tamquam gratiam,* rursum *condicionate;* in colloquio binariorum, ut cum *supplicatione expetat condicionis impletionem.* Iam vero plus est petere quam se offerre, plus cum tanta instantia petere quam petere simpliciter; plus item est expetere impleri condicionem quam petere ipsam rem condicionate tantum.

Dum autem sanctus Pater in colloquiis ita gradatim procedit, aliis simul viis tertium gradum stabilire omni studio nititur. Et primum quidem constanter in mysteriis auget *motivum amoris Christi,* quod eius gradus omnino est essentiale. Sunt vero duo in anima, quae eius motivi efficacitatem facilius imminuunt: rei amplectendae, i. e. paupertatis, *naturalis quidam horror,* et *voluntatis duplicitas* quaedam in diversos simul amores divisae. Et respectu quidem paupertatis licet supponatur, qui exercitia facit indifferenter sentire, tamen in re vel maxime electionis daemon indifferentiam convellere adnititur,

excitans «affectum vel repugnantiam contra paupertatem actualem, quando non sumus indifferentes ad paupertatem vel divitias». Quas daemonis fraudes eludit sanctus Pater, excitans in anima generalem quandam a divitiis etc. aversionem paupertatisque etc. generale desiderium, cum illas ostendat specialem ut plurimum cum Lucifero, hanc cum Christo habere affinitatem. Unde nequit iam qui exercitia facit indifferenter de illis omnibus sentire, sed generalem quendam concipit divitiarum horrorem, generale paupertatis studium. Postea binariorum meditatione eliminat sanctus Pater duplicitatem illam, suffecto in eius locum generoso ad omnia animo. Rem intellectu rursum magis agit quam affectu, ostendens, duplicitas illa quam sit stulta et vana, generositas quam sit sapiens et unice efficax.

Quae omnia porro influunt in variorum exercitiorum, quae modo discutiebamus, colloquia. Motivum scil. petendae condicionate in vexillorum colloquio paupertatis non est solus Christi amor, sed praeterea ipsius paupertatis Christo quadamtenus consecratae nobilitas, divitiarum ex Luciferi contactu abiectio. Petendae post binarios tam instanter vocationis motivum item non est solus Christi amor, cum ea petitio etiam suadeatur tamquam remedium «ad exstinguendum affectum

inordinatum» contra paupertatem. Quibus omnibus praemissis sanctus Pater tandem tertium gradum ex professo explicat atque ex motivo amoris Christi profitendum demonstrat, nullo iam alio addito motivo.

§ 2. De contemplationum cum meditationibus nexu.

n. 9. Generalem aliquem meditationum cum mysteriis nexum iam inde habes, quod meditatio regni Christi dicatur «iuvare ad contemplandam vitam regis aeternalis». Ergo adest nexus mysteriorum omnium cum regni Christi meditatione immediatus, cum aliis meditationibus mediatus saltem. Insuper a sancto Patre explicite asseritur duorum mysteriorum vitae absconditae et ascensus ad templum cum electione status conexio. Sed etiam sequentia mysteria seu, uno verbo, tota Christi vita aliqua certe ratione ad eandem electionem refertur, cum (praeamb. ad consid. status) dicat sanctus Pater: «Incipiemus, *simul contemplando eius vitam*, investigare et petere, in quanam *vita* seu statu divina sua maiestas nobis uti velit.» Hinc vita Christi statuitur pro norma vitae

nostrae, et speciatim electionis (seu reformationis) status vitae. Nunquam in sacro secessu sanctus Pater ea *simul* considerandа proponit, quae non reapse ad unum quem eo die intendat finem efficaciter conspirent (cf. additio 6). Mysteria etiam vitae publicae aliquam ad electionis opus relationem habeant oportet, cum dicat sanctus Pater (immediate ante trium graduum expositionem): «Materia electionum incohabitur a contemplatione discessus Christi a Nazareth ad Iordanem inclusive, i. e. quinta die.» Certe si talis relatio non subsisteret, materia electionum incoharetur multo convenientius ipsa iam quarta die, cum vexilla et binarii ad eam intime referantur.

Porro, sicut universae vitae Christi ad *meditationem regni Christi* generalis exstat relatio (cf. meditationis titulum), ita *diversarum hebdomadarum* ad varia eius meditationis momenta. Etenim in secunda hebdomada cernitur potissimum Christus rex «vocans» verbo, doctrina, exemplo; in tertia hebdomada idem potissimum producitur, «laborans», i. e. «laborans interdiu et vigilans noctu», «cibo et potu» tribulationis

atque «vestitu» ignominiae contentus; in quarta idem conspicitur «in gloria Patris».

Ceterum ex ipsis sancti Patris verbis mysteria secundae hebdomadae in aliquas secernuntur classes, quae singulae intimius respiciunt electionis negotium. Cum scil. vita abscondita et ascensus in templum e sancti Patris mente duos vitae status, mandatorum et consiliorum, demonstrent, omnisque vitae Christi contemplatio electioni status vitae adaptetur, merito secundae hebdomadae mysteria ita dividemus, ut mysteriis ab incarnatione ad reditum ex Aegypto inclusive statuamus electionem status *praeparari*, mysteriis vitae absconditae et ascensus status eligendos *demonstrari*, reliquis secundae hebdomadae mysteriis electionem status *adiuvari*, tandem mysteriis tertiae et quartae hebdomadae factam electionem *confirmari*.

n. 10. Exsurgit porro quaestio, utrum praeter generaliorem illum mysteriorum cum meditationibus nexum affirmandus sit *intimior aliquis singulorum quorumque mysteriorum cum meditationibus totoque electionis negotio nexus*, necne.

Et primum quidem considerantem eorum, quae sanctus Pater recensuit, mysteriorum vitae Christi seriem, ecquem effugiet, non ita pauca, quae evangelica continentur narratione, praetermitti? Mittamus inter infantiae Domini mysteria desiderari virginei conceptus S. Iosepho factam revelationem (Mt 1, 18 sqq), in eius sacratissima passione Iudae proditoris interitum (Mt 27, 3 sqq). Ast in vita publica plurima certe omittuntur mysteria. Id brevitatis causa factum dices, quod tempus deficiat ad omnia duodecim circiter dierum spatio decurrenda mysteria. Verum istud ex te quaero, quam regulam sanctus Pater in seligendis ex tanto numero tam paucis mysteriis secutus sit. Nam illum casu et arbitrio egisse, vix sine tanti viri iniuria suppones. Num ergo, quae secundum evangelicum contextum maioris viderentur esse momenti, eum selegisse prae ceteris affirmabis? Verum, secundum eum contextum, haudquaquam videtur potioris esse momenti miraculum Canae factum prae S. Petri confessione (Mt 16, 13 sqq), neque coena Bethaniae facta prae tam copiosa illa tamque salu-

tari parabolarum eruditione. *Aliam igitur, praeter evangelici contextus necessitatem, sanctus Pater in seligendis mysteriis secutus sit regulam oportet.* Quae vero ea fuerit, sat facile perspicitur: ea scil. selegit mysteria, e quibus ipse in suo secessu maiorem hauserat fructum, *ob intimiorem eorum cum universi secessus scopo electionisque negotio affinitatem.*

Age iam, punctorum per singulas contemplationes distributionem attende. Est quidem ea ut plurimum obvia. Aut quid, ut aliquo utar exemplo, magis obvium quam mysterii praesentationis in tria puncta facta partitio, quorum primum ipsam praesentationem, alterum Simeonis senis, tertium Annae viduae acta complectatur? Quid minus sapit disquisitionem quam ultimae coenae per agni paschalis comestionem, pedum lavationem et sanctissimae Eucharistiae institutionem decurrens contemplatio? At paulo quandoque iniquius res fluit, uti cum in contemplatione de eiectis templo venditoribus, omisso illo de solvendo sui corporis templo salvatoris effato (Io 2, 19), contemplationis materia sola venditorum ac

nummulariorum eiectione circumscribitur. Et tamen uberrima fructuosae indagationis vena illo recludebatur effato, quo et Christi corpus et tuum quotuplici sensu templum sit perpendere invitabare. Atqui alium a sancto Patre hoc loco intendi fructum exinde, uti iam R. P. Roothaan animadvertit, colligitur, quod nummularios «divites» a «pauperibus» columbarum venditoribus tam studiose discernat.

Erat haec mysterii quaedam decurtatio, sed adsunt inversiones. Quae tertio de nativitate dominica puncto contemplanda proponuntur («Gloria in excelsis» etc.), in evangelica narratione pastorum historiae inserta reperies; et in primo de fuga in Aegyptum puncto ordinem rerum eatenus mutatum offendes, quatenus prius innocentium necem ac dein tandem angeli monitionem perpendere iuberis; et in secundo ac tertio de missis ad praedicandum apostolis puncto evangelici sermonis dispositio deseritur, cum primum de verbis Mt 10, 16 ac postmodum de verbis Mt 10, 8 sq et 10, 7 agatur; et in contemplatione rerum in horto peractarum verba «Tristis est anima mea» etc. tertio puncto,

i. e. agoniae Domini adiudicantur, dum ea secundum utrumque evangelistam (Mt 26, 38. Mc 14, 34) ante trinam orationem t in ipso horti ingressu prolata fuerunt. In mysteriis tandem factis in cruce ea historici ordinis subversio recurrit, quam vulgata versio corrigendam censuerit. Mitto praemissam actis apud Herodem Barabbae praelationem, cum ex Io 18, 38 sqq dubium S. Ignatio oriri potuerit, obtinueritne bis illa praelatio et, si minus, quo tandem passionis momento.

Instabis ne haec quidem tanti esse momenti, ex quibus certi quicquam inferri possit; verum habentur notabiliores quaedam in ipsa mysteriorum successione inversiones. Primum exemplum habes in «vita ab anno aetatis *duodecimo* ad trigesimum» ascensui in templum, qui anno duodecimo factus est, praemissa. Ubi etiam discas certe non semper eiusmodi inversiones fortuitas esse. Ex praeambulo siquidem ad considerandos status clare colligitur ideo S. Ignatium horum mysteriorum ordinem invertisse, quod primum vitae communis ac nonnisi postea status perfectioris exemplum nobis proponere

voluerit. In vita autem publica quorundam mysteriorum ordo ab evangelico ordine tantopere differt, ut discrepantiam schemate exhibere iuvet.

Ordo evangeliorum.	*Ordo libri exercitiorum.*
1. Magdalenae conversio (Lc 7, 36—50).	2. Sedata tempestas.
2. Sedata tempestas (Mt 8, 23—27. Mc 4, 36 ad 40. Lc 8, 22—25).	5. Ambulatio super aquas.
3. Missi ad praedicandum apostoli (Mt 10, 1—16. Mc 6, 7—9. Lc 9, 1 ad 3).	3. Missi ad praedicandum apostoli.
4. Quinque milium refectio (Mt 14, 13—21. Mc 6, 30—44. Lc 9, 10—17. Io 6, 1—13).	1. Magdalenae conversio.
5. Ambulatio super aquas (Mt 14, 22—33. Mc 6, 45—52. Io 6, 14 ad 21).	4. Quinque milium refectio.
6. Transfiguratio (Mt 17, 1—9. Mc 9, 1—8. Lc 9, 28—36).	6. Transfiguratio.

Redit hic quaestio, quaenam sit eiusmodi anomaliarum assignanda ratio. Numquid S. Ignatium inadvertentiae arguemus? Num concedemus, quod vix puerulum

inter christianos lateat, id S. Ignatium effugisse, angelos «Gloria in excelsis» non sacrae familiae in specu, sed pastoribus in campo occinisse? et verba «Tristis est anima mea» in ipso horti ingressu fuisse pronuntiata? et innocentium caedem nonnisi post angeli ad S. Iosephum perlatum monitum fuisse patratam? et in Matthaei capite decimo versum sextum decimum posteriorem esse octavo, aut octavum septimo? et ambulationem super aquas ab evangelistis narrari immediate post quinque milium refectionem, non vero diu antea? et scribarum convicia atque vestimentorum divisionem ante Christi mortem et quae post mortem facta sunt portenta locum habuisse?

Quominus facilius in S. Ignatio eiusmodi errores concedamus, prohibemur cum pietate tanto parenti debita tum eximia viri loquentis atque scribentis prudentia et in tractanda Sacra Scriptura reverentia. Non potuisse eum in minoribus quibusdam deficere audacius affirmaverit quis. Nam, ut pauca quaedam praeteream minus accurate expressa in mysteriorum post orandi modos recensi-

torum inscriptionibus, quae fortasse aliena manu aut scriptae primum aut negligentius deinceps rescriptae vel completae fuerint: at erronee utique in iisdem mysteriis refertur Christus post vocem «Sitio» non aceto solum sed felle etiam esse potus, et ad mare Tiberiadis redivivus non pane solum et pisce, sed insuper favo mellis discipulos refecisse. Quae duo profecto ab evangelio discordant. Rursum post binarios S. Ignatius mysteria singulis diebus contemplanda attribuens praedicationem in templo inserit ante Lazari resurrectionem, cum ea tam in evangelio quam in punctis mysteriorum, quae postea traduntur, ingressum triumphalem consequatur. Mutati ordinis reapse nulla apparet ratio, suggesserimque aut inadvertenter ordinem esse mutatum, aut in mente habuisse S. Ignatium mysterium non praedicantis in templo servatoris, sed missorum ad praedicandum apostolorum.

Verum licet paucissima haec reapse demonstrent S. Ignatium quandoque in scribendo fuisse minus accuratum, manet tamen aliunde certissimum factum, eum

in scribendo uti in loquendo assuevisse insigni plane diligentiae; et licet uno forte loco affirmare fas sit eum ab evangelico mysteriorum ordine non advertentem deviasse, illud indubie demonstratum habemus, eum quoad mysteria vitae absconditae et ascensus ad templum eundem ordinem de consilio invertisse. A duplici igitur periculo nobis caveamus oportet: primum, ne ea quae recensuimus omnia tamquam temere et oscitanter scripta negligentes, et in sanctum Patrem simus iniquiores eiusque mentem non satis assequamur; deinde, ne in singulis quibusque apicibus profundius quid subodorati, et textui vim inferamus nostrosque sensus pro ignatianis divendere videamur. Utrique periculo ut pro viribus occurramus, nostras ad mysteria notulas non hoc loco in aciem producemus, sed singulorum mysteriorum punctis praefigemus. Puncta siquidem cum non mere S. Ignatii textum commententur, sed, quomodo is nostro iudicio ad mentem auctoris sit evolvendus, demonstrent, nostra ignatianis necessario admiscent ideoque maiorem nobis concedunt libertatem.

Unde illud denique consequitur, quod prudens vir vix erit monendus, non id nos sentire, ut exercitia ignatiana quam fieri potest optime ad mentem auctoris tradantur, oportere eum qui tradit exercitia in minoribus etiam adhaerere iis omnibus, quae non utique nostra in hoc libro opinione, sed studio suo repererit in mente S. Ignatii fuisse. Oportebit utique, ut principiis illis universe adhaereat, quae ad ideam exercitiorum spectant, quaeque n. 1—9 elucidare conati sumas. Quibus nisi adhaeserit, exercitia non tradet ignatiana. Verum librum exercitiorum tradidit S. Ignatius filiis suis, ut esset iis regula non mortua sed viva, adaptanda circumstantiis locorum et personarum atque ipsius etiam qui tradit exercitia ingenio. Magnam S. Ignatius, dum vivebat, suis in modo tradendorum exercitiorum concessit libertatem. Nonne P. Ludovicus de la Palma [1], nobilis exercitiorum interpres, a poenis angelorum et protoparentum gressum fecit ad poenas hominibus in diluvio etc. inflictas? Verum illud pro certo habendum est, debere eum, qui velit exercitia tradere ignatiana, totis viribus adniti ut probe perspiciat, quid in suo libro senserit et dixerit Ignatius, ne dum adaptare studet formam, transmutet aut immo pervertat rem.

[1] Práctica y breve declaración del camino espiritual etc., ed. 2, Barcelona 1887, 76 sq.

PUNCTA.

Principium et fundamentum.

FUNDAMENTUM a sancto Patre non proponitur per modum meditationis, non dividitur in puncta, non habet colloquia neque praeludia. His omnibus de se praevium est. Oratio praeparatoria, quod monebamus, ex ipso fluit, necessitas orandi et cum Deo oratione colloquendi ab ipso suggeritur. Videtur igitur potius ad instar seriae considerationis, utique in Dei praesentia peragendae, a sancto Patre proponi.

Fundamentum *directe* agit de homine, non de Deo; Deus tamquam ipsius fundamenti fundamentum non demonstratur, sed supponitur. Et quidem eius supponitur 1. exsistentia; 2. omnipotentia, cum solius omnipotentis sit «creare»; 3. dominium, a quo mundus ab ipso creatus et etiam hominis liberum arbitrium omnino dependeat; 4. sapientia, creaturas omnes certa finalitate conectentis; 5. bonitas, praeter suum servitium creaturarum etiam «salutem» quaerentis; 6. liberalitas, tot media servitii et salutis providentis; 7 immutabilitas, ex immutabilitate ordinis ab illo insti-

tuti colligenda, unde absolute dicitur «sequitur», «necesse est» etc.; 8. suprema perfectio laude, maiestas cultu, auctoritas obsequio agnoscendae.

Ipsum porro fundamentum obvia inspectione deprehenditur duabus constare partibus, quarum prior *factum* proponit, altera ex hoc facto *practicas conclusiones* derivat. Factum proponitur duplex, *creationis* cum *hominis* tum *reliquarum rerum*. Inde primum deducitur *regula* ex proposito utroque facto speculative fluens; dein *condicio*, ex iisdem factis eademque regula, attenta simul actuali corruptione humanae naturae, consequens.

In explicanda creatione tam hominis quam rerum duo efferuntur, *creatio* ipsa et *finis*. Creatio, utique a Deo profecta, qui solus creat, ostendit eius finis *necessitatem*, quippe qui nequaquam sit fortuitus aut libere susceptus, sed in ipsa creaturae natura fundatus. Effertur autem hominis finis non obiectivus in Dei gloria constitutus, sed *subiectivus* solum, et quidem tam *proximus* in praesenti vita quam *ultimus* in altera vita attingendus; asseritur item utriusque finis *necessarius nexus* («per haec»). Finis rerum primum generalius enuntiatur («propter hominem»), inde specialius («et ut eum iuvent in prosecutione finis, ob quem creatus est»).

Cur sanctus Pater hominem dicit esse creatum ad Dei laudem, reverentiam, servitium, et non potius ad Dei cognitionem, amorem, servitium? Quae voces hominis erga Deum officia philosophice atque ex suis causis describunt, cum servitium ex amore, amorem ex cognitione oporteat procedere. Sed sanctus Pater in mente habet Sacrae Scripturae de creatione narrationem, quae tria illa inculcat: officium divinae laudis in verbis toties repetitis: «Et vidit Deus, quod esset bonum»; officium divini cultus in sanctificatione septimae diei; officium divini servitii in prohibitione Adamo iniuncta. Etiam secus Scriptura non tam nudam Dei cognitionem quam cognitionem in divinas laudes prorumpentem exigit: «Laudate Dominum», «Benedicite Domino», «Cantate Domino». Verum hic, uti alias, sanctus Pater narrationem inspiratam prae oculis habens rei propositae adaptavit: creationem hominis creationi rerum anteposuit. Haec tempore exstitit prior, sed illa officiorum omnium, quibus homo adstringi potest, necessaria est radix.

Ex fine sequitur *regula* actionum: «unde sequitur» etc. Regula dictis antea plene respondens esset haec: debere hominem toto animo, totis viribus sectari Dei servitium propriamque salutem, creaturis vero uti tan-

tum, quantum etc. Verum Ignatius illud prius reticet: servitium Dei *practice* constat recto usu creaturarum, uti dilectio Dei observatione mandatorum. Porro *usus* supponit *electionem,* electio *desiderium* («unice desiderando et eligendo») seu *voluntatem* («velimus»); et, si creaturas singulas velimus, eligamus iisque utamur tantum, quantum iuvant ad finem, profecto semper volemus, eligemus, adhibebimus «ea, quae *magis* nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus». Ultimum igitur fundamenti incisum («unice desiderando» etc.) idem edicit atque regula finis antea statuta («unde sequitur» etc.); simul tamen, eam regulam explicite extendens ad *electionem* rerum, fundamentum exhibet ut fundamentum etiam electionis (seu reformationis) status vitae, quae totius sacri secessus est summa.

E regula sequitur *necessitas indifferentiae* ut dispositionis in anima requisitae, qua constanter regula observetur; ex ea necessitate sequitur altera *necessitas faciendi nos indifferentes,* si indifferentes non simus. Cuius indifferentiae obiectum («erga res creatas omnes»; et cf. sequentem enumerationem), limites («quantum permissum est» etc.) et natura («ut non velimus ex parte nostra magis» etc.) describuntur. Quid igitur est in-

differentia? Finis cognitus duplicem in *voluntate* exigit habitum, appetitionis finis propter se et mediorum propter finem. Finis appetendus est e toto corde omnibusque viribus; media appetenda sunt cum moderamine aliquo a regula finis petito. Haec est virtus *moderationis* seu *indifferentiae*, ferax multarum virtutum mater: quippe quae in cibo et potu sit temperantia, in luxuria castitas, in sui aestimatione humilitas, in rerum usu paupertas spiritualis, in exteriore habitu modestia etc. In hac est tota vitae spiritualis difficultas; hanc si semel tuam feceris, nihil iam in serviendo Deo eoque amando te retardabit. Haec practice, non theoretice, apex est fundamenti; quam nactus implevisti legem.

S. Ignatius non sumit indifferentiam praecisive a voluntate serviendi Deo, qua praecisione facta nihil valet indifferentia nisi «non velle». Cum indifferentia moderetur affectui rerum creatarum, regulam moderationis habet voluntatem serviendi Deo. Unde efficitur ut, qui voluntatem habet quoad Deum omnino expeditam et quoad creaturas plane indifferentem, affectu semper «desideret» et effectu semper «eligat ea, quae magis nobis conducant ad finem, ad quem creati sumus».

Cum fundamentum S. Ignatii in puncta digeramus, etiam *praeludia* adscribimus.

Primum praeambulum: contueri paradisum consitum arboribus bonis; inter quas arbor vitae, typus vitae aeternae, et arbor scientiae boni et mali, seu arbor divini mandati.

Secundum praeambulum: petere cognitionem obligationis quam habeo serviendi Deo, et gratiam ut Deo perfecte in omnibus serviam.

A. De creatione et fine hominis.

Homo creatus est, ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat eique serviat, et per haec salvet animam suam.

Punctum I.

De creatione hominis.

I. *Homo creatus est,* utique a Deo, qui solus creat.

1. *Quis* creatus est?

Homo, i. e. primus homo Adam, tam quoad corpus quam quoad animam; formavit enim Deus corpus eius de limo, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, et costam eius aedificavit in mulierem, et huic quoque indidit animam spiritualem, immortalem; — *homo,* i. e. omnes homines, quorum corpora ab illo primo generatione derivantur, animae a Deo creantur; — *homo,* i. e. ego.

2. *Quorsum* creatus est?

Totus homo — extensive, secundum facultates animae universas, cunctasque corporis proprietates et partes; secundum earum facultatum et partium non solum actum, sed etiam potentiam universam, tam naturalem quam supernaturalem, ita ut quidquid ex iis possit evolvi, quidquid aliunde iisdem accedere, necessario et ipsum debeat esse creatum; — *durative,* i. e. quamdiu homo est: continuo quippe primae creationis factum continuatur conservatione et providentia divina. Ubi consideres, quid in te sit Dei, quid tuum. Fecit te quippe Deus *hominem,* et continuo suis auxiliis adnisus est, ut humanam in te perficeret naturam; fecit *christianum,* et tot continuo donis suam in te gratiam augere studuit; contulit tot *beneficia particularia,* teque continuo ad progressum sollicitat. Quibuscum Dei donis tu partim cooperabaris fideliter, partim tuis illa *peccatis* retardabas vel irritabas: ut quidquid bonum sit in te, sit potissimum Dei, quidquid malum, sit totum tuum.

3. *Affectus* elice adorationis et humiliationis, gratiarum actionis quoad beneficia accepta et fiduciae quoad beneficia accipienda.

II. *Ad finem aliquem.*

1. Deus creans, conservans, providens debuit sane et debet habere prae oculis *aliquem* finem, etenim irrationabile est agere nullo proposito fine.

2. Debet ille finis *proportionatus* esse meae naturae cunctisque meis facultatibus, ideoque etiam a me esse *libere* attingendus, cum sapientis sit medium fini commensurare.

3. *Nosse* hunc finem, ut ei libere deinde cooperari possim, omnino me oportet.

Est ea sane res omnium *scitu dignissima:* quid enim magis interest scire quam finem, ob quem creatus sum? — est notitia *summe utilis:* quid enim proderit reliqua scivisse hac una re ignorata? — *summe necessaria:* est enim ille finis *meus,* mei totius, et unicus, quo neglecto *inutilis* sum.

4. *Affectus* elice ardentis desiderii eius finis intelligendi, et generosae oblationis ad illi fideliter cooperandum.

Punctum II.

De fine hominis proximo.

I. *Adam.* Finis ex natura cognoscitur, cum haec invicem correspondere debeant.

Tam naturae quam fini commensurantur facultates, quae naturae ad finem assequendum a creatore tributae sunt. Quare tam ex his facultatibus quam ex ipsa natura cognoscitur finis. Hinc

1. Adam natura praeditus erat *intellectu* et *voluntate*, quibus ultra res creatas omnes ad Deum pertingere eumque appetere valebat; ergo eius finis erat Deum toto intellectu et voluntate complecti.

Speciatim e creaturarum exsistentia Dei percipiebat exsistentiam, e natura sapientiam, e virtute omnipotentiam, e pulchritudine amabilitatem, ex actione providentiam, indeque ad divinas sollicitabatur *laudes*. Agnoscebat hanc Dei perfectionem etiam comparative, prout excedebat omnem perfectionem propriam, omnem perfectionem tam visibilium quam invisibilium, tam exsistentium quam possibilium, eratque simpliciter *infinita* seu infinitae *maiestatis*, sibique vindicans supremam, corpore et anima praestandam *reverentiam*. Agnoscebat eiusdem perfectionis essentialem *unicitatem* et hinc *divinitatem* atque in se ipsum *auctoritatem*, sibi vindicantem internum atque externum *servitium*. — Huncque finem ipsa Scriptura expressum habet. Adam in paradiso consti-

tutus, ubi omnia erant «valde bona», ad divinae bonitatis *laudem* incitabatur; instituta septimae diei requie ad praestandam Deo *reverentiam* et cultum manuducebatur; accepto mandato ad *serviendum* Deo adigebatur.

2. Adam natura creatus erat *ad imaginem Dei;* ergo eius finis erat, ut tota etiam vita, omni facultatum usu imaginem exprimeret vitae Dei.

Quamnam vitam vivunt tres personae Ss. Trinitatis? Earum intellectus continuo turget plenitudine cognitionis Dei et consequente mutua laude; quas imitaturus erat Adam studens Deum et res divinas penitius semper intelligere effusiusque laudare. Earum mens continuo animatur infinita mutua reverentia, non qualis ab inferiore superiori, sed qualis inter aequales exhibetur dignitate excellentes; quam aemulaturus erat Adam Deum *reverens* cultu tam interno quam externo, qualem creatura praestare tenetur creatori. Earum voluntas iugiter summa non solum concordia, sed immo identitate conspirat, est enim unica physice trium personarum voluntas; quam imitaturus erat Adam suam pro viribus divinae conformans atque subiciens voluntatem, Deo *serviens.* Quae agendo suam vitam exhibiturus erat perfectam, quantum per vires creatas licet, vitae divinae imaginem.

II. *Ego,*

1. eandem nactus atque Adam naturam, eundem atque ipse habeo finem.

Ergo *laudabo* Deum agnoscendo eius perfectiones, acceptando eius providentiam, preces fundendo; *reverebor* cultum ab eo institutum praestando; *serviam* eius exsequendo voluntatem. Serviam ei, *quomodocumque* eius mihi innotuerit voluntas: sive conscientiae voce, quam vel ipsi audiunt ethnici (Rom 2, 14), sive Dei locutione in utroque Testamento, et imprimis ore filii sui (Hebr 1, 1 sq), sive ecclesiae voce, cui Christus (Lc 10, 16) suam delegavit auctoritatem. Serviam ei *quoad omnia* pariter mandata, cum omnia eadem divina auctoritate nitantur: «Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus» (Iac 2, 10).

2. Considera, hic divini servitii finis quam sit

summe *necessarius* quoad obligationem, utpote qui in ipsa creaturae natura fundatur; ergo immutabilis, indispensabilis, universalis, supremus ideoque unicus, cui omnia in homine omni tempore subordinari debeant. Quidquid ad normam huius finis agitur, utile est, sapiens, rectum, honestum; quidquid praeter eundem fit, vanum est atque in-

utile, immo perniciosum, stultum, malum, indecorum.

Idem est *nobilissimus* quoad excellentiam, quo altior in creaturis fingi nequit, homini communis cum angelis, cum Beata Virgine, quae erat «ancilla Domini», cum Christo «servo» Dei (Is 42, 1).

Perpende, quam sacra res sit ad aliquid *obligari*: mundi ordo in eo est, ut quisque suis satisfaciat officiis. Quid sentis de homine perfido? de marito, de milite, de famulo, qui consulto desunt gravissimis officiis? Quid sentis de eo qui, repudians obligationem omnium gravissimam, Deo creatori suo dicit: Non serviam?

3. *Affectus* elice agnitionis supremi dominii Dei, oblationis et desiderii fideliter et perfecte cooperandi fini tam excellenti.

Punctum III.

De fine hominis ultimo.

I. *Datur finis ulterior.*

1. *Natura* teste omni servitio debetur *merces*, neglecto servitio *poena*. Alte mentibus nostris istud inscripsit Deus, dum Deo servimus, nos simul nobis consulere optime. Ad eius igitur servitium allicimur praeter honestatis, quae in impleto officio cernitur, etiam *utilitatis* propriae motivo.

2. Id ipsum confirmat *revelatio.* Merces servitii praestandi *Adamo* proponebatur vita, poena neglecti servitii mors, utraque fructu arboris obtinenda. Neque illa paradisi vita futura erat adaequata merces, aut illa mors adaequata poena; Adamum manebat altera vita, ergo etiam alterius vitae finis. Quae duae vitae secundum Scripturam inter se habent sicut terminus ad viam, patria ad peregrinationem, requies ad laborem, merces ad opus, planta ad semen, messis ad sementem.

3. Merces pro servitio est omnino *certa,* quippe quae nitatur Dei omnipotentia, liberalitate et fidelitate.

II. *Qui finis consistit in salvatione animae.* Cuius finis excellentiam perpendas

1. veluti ab extrinseco.

Agitur quippe salus *animae,* partis nobilissimae natura, facultatibus, duratione; longe nobilioris corpore materiali, corruptibili, animam velut carcere concludente; longe nobilioris et pretiosioris omni re *mea,* quae *mihi* accedit et pretium derivat ex emolumento *mihi* praestito. — Audi Christum Mt 16, 26 monentem: «Quid prodest homini» etc.? i. e. nihil omnino ei prodest. — Perpende, quanta

Deus et Christus egerint pro salute eius animae, quam constanter ad eam in tuto ponendam hortentur.

2. Eiusdem finis excellentiam perpende ab intrinseco. *Negative* spectatus dicit ille exemptionem ab omni malo, pro omni tempore, qualibet exclusa interruptione, metu, periculo. *Positive* dicit bonum

a) aeternum, quippe dicit bonum alterius vitae, haec autem est aeterna;

b) ineffabile. S. Paulus 1 Cor 2, 9 de hoc bono ait: «Oculus non vidit» etc.; S. Ioannes 1 Io 3, 2: «Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus.» Apostoli igitur fatentur neque coloribus pingi, neque sonis exprimi, neque mente concipi posse illud bonum quam sit excellens. — Scriptura rem adumbrat comparationibus ab omni re desiderabili petitis, quo suggerat salvationem animae omnium rerum desiderabilium excellentiam in se non continere solum, sed etiam excedere: est lux seu requies aeterna, gloria, regnum, nuptiae, coena etc. Est tandem illud bonum

c) divinum, consistens in fruitione Dei aeterna: coelum erit nobis domus, quam ingrediemur non ut extranei, sed ut filii; conquiescemus in amplexu patris, ubi incessans laus, filialis reverentia, voluntatis unio fruitiva.

d) Hoc bonum efficit animae *beatitudinem*, et quidem unicam, quod unum sit aeternum naturaeque animae immortalis proportionatum; sufficientem, quod solum satisfaciat animae appetitui spirituali et supernaturali; ergo necessariam, quantocumque pretio procurandam.

3. Eiusdem finis excellentiam metire comparatione quadam.

Mundum circumspiciens perpende quantam in eo ubique et constanter efficaciam exserat motivum *mercedis* seu *lucri*. Quae lucra terrestria omnia sunt insecura, brevibus temporibus conclusa, comparatione caeli vilia. Quam insipiens is, qui non adnititur serio et constanter, ut mercedem assequatur aeternam?

III. *Salvationis condicio servitium Dei.*

1. «Per haec» seu «*haec agendo*», i. e. Deum laudando, reverendo eique serviendo; haec solum agendo, quae comparatione aliorum tam plana sunt et facilia; haec tota vita tam brevi constanter agendo: salvabo animam meam tam pretiosam, eam participem faciam tantae ac tam permanentis beatitudinis.

2. *Haec non agendo*, quidvis secus egerim, nihil mihi proderit; haec vel

semel in re gravi negligendo, ex inconstantia, segnitie, passione, fortasse perdam animam meam tam pretiosam, eam aeternum tanta felicitate excludam.

Perditio animae dicit carentiam supremi boni, quod, cum exigentiae naturae per gratiam elevatae unice respondeat, inexplebile in anima generat *desiderium;* cuius obtinendi cum prius data fuerit possibilitas et relativa facilitas, correspondentem gignit *tristitiam;* quod cum fuerit culpabiliter amissum, proportionatum excitat *remorsum;* cuius cum recuperandi aut cuiusquam compensationis obtinendae omnis omnino praecludatur possibilitas, extremam causat *desperationem.* Haec poena *damni,* quam proportionata comitatur poena *sensus,* utraque aterna, immutabilis, ab omni aliena levamine.

3. *Ergo haec agam.* Confer laborem cum re quae labore est acquirenda 2 Cor 4, 17: «Id enim, quod in praesenti» etc. Hic momentaneum, ibi aeternum; hic leve aliquid, ibi pondus supra modum. Rom 8, 18: «Non sunt condignae» etc. Lc 6, 38: «Mensuram bonam» etc.

B. De creatione et fine rerum.

Et reliqua super faciem terrae creata sunt propter hominem, et ut eum iuvent in prosecutione finis, ob quem creatus est.

Punctum I.

De creatione rerum.

I. *Reliqua etc. creata sunt.*

1. *Reliqua super faciem terrae* — expressio biblica denotans reliquas creaturas materiales omnes seorsim spectatas ab homine.

2. *Creata sunt* a Deo caelum et terra, firmamentum et astra, plantae et animalia, homines reliqui. Haec Deus non solum *creavit* primum, sed continuo *conservat* in esse atque cum eis *concurrit* in agendo. His Deus non solum dedit esse, sed indidit *leges* omnis eorum operationis et *virtutem se propagandi*. Hinc Dei *providentia* omnia constanter reguntur, non ipsae tantum creaturae seorsim sumptae, sed omnes earum combinationes, collisiones et effectus. Speciatim Dei providentiae subsunt effectus influentes in nostram «sanitatem vel infirmitatem», aëris inclementia etc.; bonorum creatorum distributio, «divitiae vel paupertas»; hominis in agendo cum aliis hominibus prospera vel adversa sors, et inde consequens «honor vel ignominia»; tandem «vita longa vel brevis».

II. *Ad finem aliquem.*

1. Deus haec omnia creans, conservans atque gubernans sane prae oculis habet finem *aliquem,* cum irrationabile sit agere nullo proposito fine.

2. *Nosse* eum finem me omnino oportet.

Est enim res, praeter finem hominis, omnium *scitu dignissima* cum in se — agitur enim de mundo tam vasto, tam vario, tam artificiose constructo — tum respectu officii laudandi Dei, quod homo, perspecto mundi fine, longe excellentius adimplebit. Haec notitia insuper est summe *necessaria,* cum homo continuo rebus ceteris circumdetur et implicetur, quarum finem si ignoret, in constanti versabitur periculo abutendi rebus, laedendi iuris, quod creator in illas habet, atque ita conscientiam multiplici culpa maculandi.

3. *Affectus* elice ardentis desiderii cognoscendi finis rerum, et generosae oblationis ad illius in omnibus rationem habendam.

Punctum II.

De fine rerum.

I. *Creata sunt propter hominem,*

1. si non unice, at certe vere; cui praebent domicilium, corporis necessaria, uti victum

et vestitum, laborem et recreationem, exercitium virtutis; et per haec praebent sanitatem vel infirmitatem, vitam longam vel brevem, consolationem vel desolationem.

2. Non tamen omnia immediate propter singulos creata sunt, sed determinata singulis rerum copia Dei providentia et humana industria praesto est; quae si abundent, *divitias,* si deficiant, *paupertatem* efficiunt; illas ut plurimum consequuntur *honores,* hanc *ignominia,* haec labores habet duriores, recreationes pauciores.

3. Elice *affectus* admirationis de tanta Dei opulentia et libertate, gratitudinis, confusionis.

II. *Et ut eum iuvent in prosecutione finis, ob quem creatus est.*

1. Considera Deum non ad alium usum potuisse homini dare creaturas, cum secus essent homini *inutiles,* nihil conferentes ad finem eius unicum, immo *noxiae,* hominis animum ab unico illo fine abstrahentes. Tamquam media ad eum finem e contra sunt *utiles, pretiosae,* immo quodam modo *sacrae,* quod tamquam instrumenta Dei laudi, reverentiae et servitio destinentur; sunt instar *graduum scalae,* ad caelum a terra hominem elevantium, dum modo recte illis utatur, neque illis abutens e terra in infernum deducatur.

2. Considera *quomodo* hominem iuvent, primum in triplici officio implendo: *laudandi* Deum, cuius exsistentiam, omnipotentiam etc. res tam secundae quam adversae manifestant; *colendi* Dei, quatenus eius cultui immediate adhibentur; *serviendi* Deo creaturarum usu, abstinentia, toleratione. Hinc iuvant in assequendo fine ultimo, scil. in beatitudinis *praemio* adipiscendo, in damnationis *periculo* evitando, in anima *salvanda*.

3. Considera, creaturas non esse dona, quibus homo ad arbitrium vel lusum utatur, sed esse *deposita* ex intentione domini certa ratione ad certum finem administranda, annexam habentia veri nominis *obligationem*; cuius obligationis observatio efficiat *meritum* et ius conferat *praemii*, dum neglectus generet *culpam* et reatum inducat *poenae*; Deum vero, quippe qui dominus sit sapientissimus, quid servus agat attente *observare*, observata *recordari*, tempore a se statuto actorum *rationem exigere*, de iis *sententiam ferre*, conferre *praemium* aut infligere *poenam*.

4. Considera quae tandem sit hominis in hoc mundo condicio. *Deus* semper est *dominus* tam hominis quam rerum, iure prorsus inalienabili. *Creaturae* homini semper sunt *media*, nunquam finis, et quidem eadem necessitate naturae, qua homo ad Dei servitium

destinatur. *Homo* semper manet *servus* Dei, qui creaturis uti debeat non tamquam dominus, sed tamquam servus.

C. De indifferentia.

Unde sequitur homini tantum utendum illis esse, quantum ipsum iuvent ad finem suum, et tantum debere eum expedire se ab illis, quantum eum ad eum finem impediunt. Quapropter necesse est facere nos indifferentes erga res creatas omnes, quantum permissum est libertati nostri liberi arbitrii et non est ei prohibitum, adeo ut non velimus ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem, divitias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem, et consequenter in ceteris omnibus, unice desiderando et eligendo ea, quae magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus.

Punctum I.

Debemus esse indifferentes.

I. Indifferentiae natura.

1. *Sequitur* totam hominis vitam debere regi duplici in voluntate inclinatione: altera in *finem,* quae est amor Dei sive concupiscentiae sive benevolentiae, nullisque circumscribitur limitibus, sed sit oportet ex toto corde, ex tota anima et ex omnibus viribus;

altera in *media*, quae non appetantur propter se neque ex toto corde, sed intuitu finis, legibus et limitibus a fine petitis.

Haec altera igitur inclinatio duplici constat elemento: uno positivo, quo media appetuntur, quia media sunt, una autem eademque virtute appetuntur et finis et media; altero negativo, quo non appetuntur media nisi in quantum sunt media; et in hoc consistit habitus *indifferentiae* seu *moderationis*.

2. Prior illa inclinatio, quam supponit et complet indifferentia est ipsa illa *dilectio*, quam habet primum et maximum mandatum Mt 22, 37: «Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua»; ubi diligendi voce non solus caritatis affectus exprimitur, sed universe cultus Dei et omne genus obsequii erga Deum. Quae dilectionis *lex* in ipso *facto* creationis habet radices.

Est autem haec lex *universalis*, ut Deus diligatur in omnibus, omni tempore, viribus omnibus; est suprema, cum Deus diligendus sit super omnia, alia vero diligenda sint solummodo tantum, quantum iuvant ad diligendum Deum; est omnium aliarum legum *regula*, quae leges non sunt nisi tantum, quantum huic legi conformantur. Unde, quam

S. Paulus. Rom 7, 23 dicit «legem peccati», ea lex non est, sed contra legem rebellio.

3. Indifferentia igitur dicit negationem in voluntate inclinationis ad aliquam creaturam vel aversionis ab aliqua creatura, propter se seu «ex parte nostra», et non propter finem. Sed haec ipsa indifferentia longissime abest a torpore, qui nihil appetit, nihil curat. Habet quippe ipsa certos limites, moderamenque nanciscitur ab appetitu finis et mediorum: «quantum permissum est libertati nostri liberi arbitrii et non est ei prohibitum».

4. Ergo indifferentia non excludit inclinationem in obiecta a Deo praescripta quantumvis fervidam, neque aversionem ab obiectis a Deo prohibitis quantumvis intensam. Immo cum ea indifferentia tamquam consequentia fluat ex doctrina de fine hominis, non potest concipi nisi simul exsistens cum integra respectu divini servitii devotione, et ita haec duo simul dicunt non inertiam, sed perfectam mentis nulla inferiore inclinatione irretitae libertatem, et indivisam voluntatis Deum et in Deo reliqua omnia amplexantis energiam.

II. Indifferentiae ambitus.

1. *Sequitur* hanc indifferentiam debere pertingere ad «res creatas omnes». Speciatim

ad *bona externa:* divitias et paupertatem, honorem et ignominiam, societatem et solitudinem, sociorum indolem facilem vel difficilem. Ad *bona corporis:* vitam longam vel brevem, robur vel debilitatem, pulchritudinem vel deformitatem, sanitatem vel infirmitatem. Ad *bona animae naturalia:* ingenium, scientiam, animi indolem. Ad *bona spiritualia:* consolationem vel desolationem, tentationes, orationem, poenitentiam etc.

2. *Sequitur* indifferentiam debere pertingere ad harum rerum omnes et singulos gradus et circumstantias, ut unaquaeque appetatur vel repudietur *tantum, quantum* finem iuvet vel impediat, item tamdiu quamdiu etc.

3. Considera hanc dispositionem esse aeque *necessariam* atque ipsum hominis finem; esse *sapientem,* qua deficiente subintret in actiones insipientia; *dignam* homine, quam neglectam consequatur abiectio; *utilem* praemiique feracem; *beantem, sanctam.*

III. Indifferentiae praxis.

Debeo serium elicere *propositum* semper agendi ad normam finis mei, observando praecepta omnia. Debeo Dei *petere gratiam,* sine qua hoc propositum exsequi nequeo. Debeo a me ipso *exigere rationem* servati eius propositi, ad instar servi reddituri ra-

tionem sui famulatus. Debeo haec omnia praestare non semel tantum aut iterum, sed *assidue* et statutis temporibus. Praestabo ope *examinis generalis*.

Punctum II.

Non sumus indifferentes.

I. Indifferentia licet in statu perfecto adiunctam sibi exigat correspondentem partis sensualis sub voluntatem subordinationem, tamen ipsa *in voluntate* est habeturque vera voluntatis indifferentia simul cum partis inferioris repugnantia. Tamen nos omnes indifferentia misere destitui non in parte inferiore tantum, sed etiam in voluntate constanti docemur experientia. «Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua» (Gn 8, 21). Cuius rei prima ratio est humanae naturae peccato Adami effecta corruptio.

II. Speciatim unusquisque habet unam aliquam *principalem inclinationem inordinatam*, quae omnis in eius vita deordinationis est radix, omnis generis peccatis una subest, consistitque tandem in hoc, quod erga quasdam res creatas ille non sit indifferens.

Punctum III.

Debemus nos facere indifferentes.

I. «*Necesse est*». Debemus esse indifferentes. Non sumus indifferentes. Ergo debemus nos facere indifferentes.

1. *Naturae vitiatae contra indifferentiam obiectiones.* «Facere nos indifferentes» dicit exstirpationem inclinationum et aversionum, quae in ipsis nostris cordibus *radices* fixerunt. Imaginare plantam, quae radices undequaque solo inseruit; imaginare ingratum talis plantae eradicandae laborem gleba revulsa: et cogita tales plantas esse inordinatas tuas affectiones, et solum, in quo radices fixerint, esse ipsum tuum vivens et sentiens cor. — «Facere nos indifferentes» dicit *pugnam* perennem contra inimicum semper vigilem, naturam scil. nostram vitiatam, in qua igitur vulnera a nobis adversario inflicta ipsi sentiamus; pugnam internam ideoque ab hominum observatione et laude remotam.

2. *Rationis gratia suffultae argumenta pro indifferentia.* «Necesse est facere nos indifferentes», quia, si non fecerimus nos indifferentes, non erimus indifferentes; si non erimus indifferentes, non servabimus regulam finis; si regulam finis non servabimus, abutemur creaturis, erimus servi nequam, non

salvabimur.—«Necesse est», ergo possibile est, nam volentibus Deus dabit gratiam. — «Necesse est», ergo hoc neglecto vera pax, neque in hac neque in altera vita, inveniri poterit.

II. «Necesse est», *ergo fiat;* ergo sine mora fiat, nam omni mora vitiosae propensiones augescunt; ergo perseveranter fiat, non enim est opus unius diei eas evellere; ergo universaliter fiat, non enim proderit uni propensioni restitisse, si alteram stulte foveris; ergo ordinate fiat, ope *examinis particularis.*

De triplici peccato.

Meditationis scopus totus in eo est, ut concipiam «*pudorem* et *confusionem* mei ipsius ... ob tam multa mea peccata» (praeamb. 2). Ratio pudoris est in foeditate et malitia peccatorum. Foeditatis iusta mensura reperitur in immanitate poenae illis debitae. Poenam hanc peccatis debitam possumus aut in se intueri, aut ex poena aliis inflicta coniectura quadam et proportione assequi. Hac duplici via in disponendis punctis sanctus Pater processit, atque priorem considerationem, utpote quae longe efficacior esset, fini, i. e. colloquio reservavit.

Hinc primum nobis proponit peccatum et poenam *angelorum* nosque invitat ad perpendendum, qualis poena nostris peccatis debeatur quantaque consequenter eorundem sit oporteat foeditas. Stringens utique argumentum, licet exceptioni cuidam pateat. Potest siquidem obicere aliquis, illud peccatum *angelorum* fuisse non hominum, itaque specialem quandam malitiam ex perfectiore peccantium natura contraxisse, quae malitia non ita insit hominum peccatis. Quam obiectionem praecludit sanctus Pater nobis proponens poenam peccati *protoparentum*. Verum hic quoque obvia adest exceptio, hoc peccatum commissum esse ab homine constituto in *statu iustitiae originalis*, qui nostram condicionem plurimum excellebat. Unde rursus sanctus Pater ante oculos nobis statuit poenam peccatorum commissorum ab hominibus in eodem atque nos *statu naturae lapsae* constitutis. Quae peccata nostris perquam similia atque eadem fere sunt atque illa; tamen non sunt nostra peccata personalia. Unde tandem sanctus Pater coronam argumento imponit exhibens nobis in colloquio poenam, quam *nostra personalia peccata* filio Dei inflixerunt. Ecquid aptius afferri potuit, quo foeditatem nostrorum peccatorum intime perspiceremus atque pudore et confusione suffunderemur?

Quod argumentum ex se efficacissimum roboratur adhibita duplici consideratione *magni numeri damnatorum ob unicum peccatum,* et *numeri etiam maioris damnatorum ob peccata meis pauciora.* Priorem considerationem habet prael. 2: «videndo, *quam multi* damnati fuerint ob *unicum* peccatum mortale, et *quam saepe* ego meruerim damnari in aeternum ob tam multa mea peccata». Inculcatur legis severitas, quae nullam admittat exceptionem, ne multitudine quidem reorum ad indulgentiam flectatur. Alteram considerationem habet punct. 3: «et *multi alii sine numero* (damnati sunt) ob *pauciora* peccata, quam ego feci». Argumentum hoc eo quidem infirmius est, quod agat de iis, qui damnati sint ob peccata uno plura, sed eo validius, quod hi sint «multi sine numero», eorumque omnium peccata sint pauciora meis.

Etiam in decursu punctorum eaedem considerationes inculcantur. Angelorum quidem reproborum, quod Scriptura testatur, ingentem fuisse numerum sanctus Pater non exprimit; licet hoc eum in mente habuisse ex citatis secundi praeludii verbis et ex secundo puncto prioris de vexillis partis clare colligitur. Inter sequelas autem peccati protoparentum haec ultimo loco recensetur: «*tam multis* hominibus ad infernum euntibus». In tertio dein puncto attendere iubemur pecca-

tum non unius alteriusve individui, sed «*cuiusvis*», i. e. eorum universorum, qui ob unicum peccatum iverunt in infernum. Non dicuntur quidem huiusmodi homines esse numero multi, cum id nesciatur, sed statim subiungitur: «et *multi* alii *sine numero* (damnati sunt) ob pauciora peccata, quam ego feci».

Numerus delictorum comparatione exiguus affirmatur de angelis: «trahendo in comparationem *unius* peccati angelorum tam multa peccata mea, et cum illi ob *unum* peccatum iverint in infernum, quam saepe ego hoc idem meruerim ob tam multa»; de protoparentibus: «quomodo ob illud» — *unicum* utique — «peccatum tam diuturnam fecerint poenitentiam»; de tertio peccato: «qui ob *unum* peccatum mortale ivit ad infernum»; tandem sermo est de illis, qui non quidem ob unicum, attamen «*ob pauciora peccata, quam ego feci*», damnati sunt. Quod ultimum membrum ab iis, quos unicum peccatum in infernum detrudit, ad mea tam multa peccata, Christi vulneribus expiata, apte viam sternit.

Vocat sanctus Pater nostrum exercitium meditationem «*per tres potentias*», et clarius eius appellationis sensum in punctis explicat. «Primum punctum erit trahere *memoriam* super primum peccatum, quod fuit angelorum; et deinde super idem *intellectum*, discurrendo;

deinde *voluntatem,* volendo totum illud memorari et intelligere, ut magis erubescam et confundar, trahendo in comparationem unius peccati angelorum tam multa peccata mea.» Cf. secundum et tertium punctum. Iam vero, cum in omnibus omnino exercitiis utendum sit illis tribus potentiis, quaestio exsurgit, quam ob causam nostrum prae ceteris exercitium «meditatio per tres potentias» nominetur. Num ideo solum, quod in eo trium potentiarum applicatio explicetur? An ideo praeterea, quod singula, prout a sancto Patre traduntur, puncta sponte veluti in trina subdividantur membra, in quorum primo memoriae, in altero intellectus, in tertio tandem voluntatis usus praevaleat? Ita reapse habet.

Memoriae applicatio a sancto Patre in duobus prioribus punctis fusius traditur («Dico, trahere in memoriam»), dum in tertio summarie magis absolvitur. Tria in primo puncto memoriae revolvenda distincte proponuntur: angelorum condicio ante lapsum, lapsus et poena; tria item in secundo puncto: protoparentum originalis condicio, lapsus atque poena tam ipsis quam posteris inflicta. Intellectus officium ita describitur, ut sit «discurrere» seu «discurrere magis in particulari» super factum, quod memoria revolvebatur. Et clarius qua in re hic discursus praeprimis

insistere debeat, tertio puncto exprimitur: «discurrere intellectu, quomodo in peccando et agendo contra bonitatem infinitam homo talis *iuste* fuerit condemnatus in aeternum». Videtur ergo hoc loco prae ceteris iustitia inflictae poenae esse perpendenda. Tandem voluntatis officium in primo puncto distincte enuntiatur: «volendo totum illud memorari et intelligere, ut magis erubescam et confundar, *trahendo in comparationem* unius peccati angelorum tam multa peccata mea». Scilicet pudoris sensus non ex mera poena angelorum, neque ex iustitiae talis poenae consideratione enascitur, sed ex comparatione meae culpae poenaeque eidem proportionatae cum culpa et poena angelorum. Iam ex dictis satis apparet, quomodo singula nostrae meditationis puncta sponte veluti in trina membra dividantur, in quorum primo memoriae, in altero intellectus, in tertio voluntatis exercitium praevalet.

Quin immo, similis dispositionis vestigia in ipso colloquio observare licet, ordine solum parumper mutato. Nam primum attendere iubemur Christi statum ante incarnationem («creator cum esset»), inde eiusdem condicionem in cruce seu potius ab incarnatione ad crucem («hominem se fecerit» etc.), tandem factae mutationis causam, quae sunt peccata nostra («quomodo eo devenerit»).

Et haec quidem exercitio memoriae in punctis descripto respondent. Quae pervolventes simul attendere oportebit iustitiam divinae condemnationis in Christum latae et hinc pudore suffundi, qui in secundo praeambulo tamquam fructus meditationis proprius postulabatur. Quem affectum adhuc auget quaestio, «quid egerim» tempore anteacto, «quid agam» tempore praesenti, atque ita per tertiam quaestionem, «quid agere debeam» in futuro, animum suaviter ad efficax propositum efformandum traducit.

A. De peccato angelorum.

Punctum I.

Factum angelorum perpenditur.

I. *Condicio angelorum ante peccatum.* Considera *Deum,* creatorem ac dominum angelorum, regem supremum et aeternum, sedentem in solio maiestatis suae in caelo, veluti in paradiso quodam spirituali atque aeternae gloriae vestibulo, et *angelos* universos throno eius adstantes. Quorum attendas:

1. *numerum* — innumerabiles sunt;

2. *condicionem* — «*creati*», natura sunt puri spiritus; ergo immortales, independentes ab

omni materiae influxu quoad sustentationem, motum, cognitionem, appetitum; homines sapientissimos longe excellunt scientia naturali, tam sublimi, comprehensiva, penetrante, perdurante; praepollent voluntatis energia, proportionata scientiae nobilitati; robore instructi sunt ordinem materialem prorsus superante; — «*in gratia*»: inde a creatione sua gratia sanctificante vestiti sunt atque filii Dei effecti, scientia infusa instructi, ornati virtutibus infusis, inter quas eminet caritas. Eorum tandem attende

3. *destinationem* — «ad exhibendam reverentiam et oboedientiam suo creatori ac domino». Quos tu considera indefesse Deum *laudantes,* dum trisagion occinunt, ei *reverentiam exhibentes,* dum ante eius thronum adorantes procidunt, ei *servientes,* cum sint ministratorii spiritus, constanter ad omne ministerium parati. Adverte, hic angelorum finis quam sit necessarius, quippe qui sequatur ex creaturae natura; quam nobilis cum ex parte obiecti, quòd est Deus, tum ex parte modi illud attingendi, status videlicet supernaturalis, ad quem fuerant gratuito angeli elevati; quam fecundus gloriae Deo optimo creatori ac domino praestandae, pacis in ipsorum angelorum animos redundantis, meriti post probationem in gloria consummandi.

II. *Peccatum angelorum.* Considera, angelis illis omnibus homagium aliquod fuisse praestandum Deo. Ubi adverte,

1. angelorum plurimos, inter quos S. Michael et S. Gabriel, alacriter illud Deo homagium praestitisse: «Tibi soli serviam», Deo illis vicissim suam largiente pacem: «Pax vobis»; unde abundantia pacis diffundebatur in cordibus eorum per inhabitantem Spiritum Sanctum, singulos uniens Deo et uniens invicem, ipsumque locum consecrans, ut esset caelestis quaedam *Hierusalem,* civitas pacis.

2. Cum ecce Lucifer, et ipse vocatus, homagium praestare renuit, exclamans: «Non serviam». Elevat iam pedem, ut ascendat gradus throni et iuxta Altissimum consideat (Is 14, 13). Plurimi vero alii angeli ipsi rebellanti adiunguntur et caelum confuso strepitu replent, ut sit veluti *Babylon* quaedam, civitas confusionis. Perpende eius vocis «Non serviam» *malitiam,* quae procedit ex creatura tota quanta divino servitio destinata, ex mente naturaliter et supernaturaliter tantopere illustrata, ex ore divinae laudi consecrato, in medium senatum sanctorum angelorum atque in ipsam numinis sacrosanctam praesentiam, tamquam fetidum sputum aut pestiferus vomitus.

III. *Peccati angelorum poena.* «Conversi fuerunt de gratia in malitiam.»

Dei amor ilico mutatur in odium implacabile; nudantur rebelles gratia sanctificante, destituuntur actuali; in locum caritatis succedit obduratio, in locum sapientiae obtenebratio, quam consequitur perversio in intentione finis et astutia in delectu mediorum; in locum eminentiae succedit abiectio et foeditas; in frontibus comparet sigillum divinae reprobationis.

«Et de caelo ad infernum praecipitati.»

Resonat vox de throno: «Recedite a me, maledicti!» et ilico angeli rebelles invisibili Dei omnipotentia a solio divinitatis retruduntur et, caelo sub eorum pedibus discisso, oculis se offert inferni abyssus nunc primum apertus. Contemplare inferni a caelo *distantiam,* cum hoc appelletur altitudo simpliciter, ille abyssus simpliciter: «Altitudinem caeli, et latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est?» (Eccli 1, 2.) Contemplare inferni a caelo *differentiam,* cum hoc sit regia, illud carcer; hoc spiritualis paradisus, ille locus tormentorum materialium; hoc patria, ille exsilium; hoc gloriae habitaculum atque lux beans, ille ignominiae locus et ignis torquens; hoc Hierusalem, ille

Babylon. Contemplare inferno atque caelo communem *aeternitatem* et *immutabilitatem*. Contemplare tandem, Dei ilico virtute atque fidelium angelorum ministerio reprobos angelos e caelo in infernum esse praecipitatos, desperationis edentes rugitus; dumque abyssus super ipsos clauderet os suum, victores angelos triumphale ad thronum Dei cecinisse canticum.

Punctum II.

Factum angelorum discutitur.

I. Perpende hoc totum factum esse

1. *in angelis,* qui essent prima et perfectissima creatio Dei infinite amantis; quibus ipsa perfectio a Deo collata superbiae et ruinae fuisset occasio; quorum illud unicum et primum fuisset peccatum; quorum unus fuisset defectionis antesignanus, reliqui socii tantum; quorum tantus esset numerus;

2. *a Deo,* infinite *iusto,* qui non ira abripiatur, non puniat ultra demeritum; infinite *misericordi,* qui semper puniat infra demeritum, qui sua misericordia semper sollicitetur ad spatium poenitentiae reis concedendum et gratiam reconciliationis iis offerendam, qui in ipso, quo illos puniebat, instanti et actu misericordiae nequaquam immemor esset;

3. *ob unicum peccatum mortale.* Erat rebellio peccatum, utpote libera denegatio reverentiae et oboedientiae creatori debitae; erat peccatum mortale ex obiecto, ex plena deliberatione, et ex abundantia gratiarum ad resistendum oblatarum; erat peccatum mortale primum et unicum.

4. Perpende hoc totum factum esse *ilico* et *irrevocabiliter.*

II. Considera eius condemnationis *iustitiam.*

Procedit iusta de ore Dei; manus Dei iuste angelorum rebellium nomina delet de libro vitae, et decretum reprobationis nunquam obliterando Ss. Trinitatis sigillo ratificat. Acclamant eidem sententiae fideles angeli, cuius in ipso tartari abysso daemones iustitiam agnoscunt: «Iustus es, Domine, et rectum iudicium tuum» (Ps 118, 137). Agnoscent pariter omnes angeli atque homines, tam electi quam reprobi, in die supremi iudicii atque porro in omnem aeternitatem. — Quae sententia ideo iusta est, quod peccatum mortale sit rebellio contra supremam maiestatem, aversio ab infinita bonitate, provocatio purissimae sanctitatis, ideoque iuste puniatur aeterno exsilio, aeterna reprobatione, aeterno maledicto.

Punctum III.

Factum angelorum applicatur.

I. Ergo haec tanta poena angelis inflicta etiam inferior est malitia et foeditate vel unius peccati mortalis, *vel unius mei peccati mortalis.*

Quoties deliberate transgrediebar unum ex mandatis Dei, facto dicebam: «Non serviam»; materia offensae erat a peccato angelorum diversa, ratio formalis rebellionis erat eadem. Sceleris fiebam reus, cuius ex mente Dei et sanctorum abominatio esset tanta, cui sola inferni poena corresponderet. Si in ipso actu Deus mihi vitam ademisset, aeternae damnationis sententiam subiissem, caelo et terra conclamantibus: «Iustus es, Domine» etc.

II. Quae ergo poena manèbit peccata mea mortalia *tam multa*, considerato eorum numero, considerata speciali malitia, quae in peccati iteratione cernitur, maxime post acceptam et iterato acceptam peccatorum remissionem? Quantaque est consequenter foeditas animae meae illis peccatis infectae, quam Deus et angeli nauseant, ipsi daemones sua societate indignam, si ita loqui fas est, iudicant?

III. Quid, si peccatum vel peccata iam fuerint remissa? Remissio est effectus gratuitae Dei misericordiae; factum admissi quondam peccati perseverat, res mea est aeternumque manebit, licet reatus fuerit condonatus.

IV. Quid, si Dei adiuvante gratia peccatum mortale nunquam admiserim? Nonne aliquando notabiliore aliquo tempore deliberate negligebam orationem ad superandas tentationes tam necessariam? Nonne liberius indulgebam in uno aliquo genere peccatorum venialium? Haec agendo me ipsum exponebam evidenti periculo peccati etiam mortalis. Misericordiae Domini, non mei meriti fuit, ut ad eam extremitatem non sim delapsus, quo me corruptio humanae naturae morali necessitate pertrahebat. Plurimam itaque causam habeo pudoris.

V. Quomodo me habeo quoad peccatum ab aliis arcendum, iis maxime qui meae curae commissi sunt? Quomodo me habeo quoad scandalum?

VI. Perpende, quo hominem deducat *indifferentiae* neglectus.

B. De peccato protoparentum.

Punctum I.

Factum protoparentum perpenditur.

I. *Condicio protoparentum ante peccatum.*

1. «Adam creatus est in campo Damasceno.»[1] Corpus a Deo formatum est pulcherrimum, perfectissimum; anima processit de ore Dei, eius imago perfectissima, instructa scientia et virtute atque supernaturalibus gratiae donis.

2. «Et positus in paradiso terrestri» ad fruendum donis praeternaturalibus. Considera amoenitatem et fertilitatem eius primae patriae, fructuum suavitatem et varietatem, fontis salubritatem, animalium varietatem et familiaritatem, arborem tandem vitae, ministrantem immortalitatem et impassibilitatem corporibus. Considera totam hanc materialem felicitatem fuisse umbram tantum

[1] Demonstravit H. Watrigant S. J. (Études II [1897] 218 sqq): «Vitam Christi», qua se initio conversionis plurimum usum esse affirmat S. Ignatius, esse vitam a Ludolpho de Saxonia scriptam, cuius condebatur editio catalana Valentiae 1495 et editio hispana Alcalae 1502—1503. Ex hac vita I 2 1 est «campus Damascenus».

internae spiritualis pacis ex unione cum Deo et perfecta facultatum omnium mutua subordinatione, quam iustitiam originalem vocamus.

3. «Eva formata est de eius costa», similis illi in omni genere perfectionis, destinata in adiutorium illi ad intimam totius vitae communionem («virago»), et speciatim ad cooperandum in generanda prole et universa hominum societate instituenda («mater viventium»).

4. Haec vero omnia eo unico fine effecta sunt, ut ambo cum universa prole, Deum laudantes, ei reverentiam exhibentes atque oboedientes, ad perfectionem «hominis» pertingerent divinamque in se ipsis imaginem absolverent. Quibus consecrabatur paradisus in terrestrem *Hierusalem,* caelestis imaginem.

II. *Peccatum protoparentum.* «Cum prohibiti essent, ne de fructu arboris scientiae comederent.»

1. Considera, ea prohibitio quam fuerit *iusta,* cum Deus, rerum omnium dominus, certe potuerit eiusmodi prohibitionem edere; *facilis,* cum unica esset, unicum ex tam innumeris attingens obiectum, idque praestitu tam facile; *gravis,* ex ipsa quadamtenus sua unicitate, dein ex fine probationis instituendae, ex adiecta gravis poenae comminatione; *utilis,* qua Deus experiretur suorum

servorum fidelitatem, homo fini satisfaceret et salvaret animam suam.

2. Perpende additam sanctionem, ut Adam mandato obsecutus sibi et posteris servaret gratiam et dona praeternaturalia, sin minus peccatum et mortem cum illis incurreret. Electio illi dabatur inter *vitam* veram, complectentem plenitudinem vitae naturalis cum supernaturali copulatae, et *mortem* tam corporis quam animae; inter *libertatem* perfectam, voluntate plene expedita in se, nullatenus subiecta inordinatis inferiorum facultatum influxibus, et *captivitatem,* voluntate abrepta ab inferiore appetitu et daemonis fraudibus mancipata; inter *pacem* et *miseriam.*

«Et ipsi comedentes et ita peccantes.»

1. Considera *serpentem,* i. e. Luciferum, ex angelo factum inimicum Dei, immicum insuper eorum omnium, quotquot creantur a Deo, ut in caelo aliquando obtineant sedes angelis infidelibus pridem destinatas, inimicum igitur non unius alteriusve tantum humanae personae, sed vel ipsius humanae naturae omnibus pariter communis; tamen specie nunc tectum amica, serpentis gliscentis, tortuosi, familiaris. Adest autem ex inferna Babylone, ut lapidem angularem ponat *Babylonis* terrestris.

2. Considera, qua astutia protoparentes tentet: sollicitat eos primum cupiditate fruendi

fructu vetito, dein cupiditate excellentiae, ut hinc eos praecipitet in supremam superbiam contemnendae divinae prohibitionis. Considera, quomodo simul labefactet fidem iniqua suspicione, et ipso coniugali affectu ad suum perversum finem abutatur.

3. Considera tandem ipsam comestionem, actum unicum, brevissimum, peccaminosum tamen, quod divinam negligeret prohibitionem: universa malitia, quae angelorum rebellioni inerat, in hac quoque inoboedientia reperiebatur. Degusta veluti huius fructus peccati malitiam, foeditatem, amàritudinem, eamque confer cum suavitate os ex esu illius fructus vetiti mentemque ex vanitatis indulgentia pervadente.

III. *Peccati protoparentum poena*. Poena ipsorum protoparentum:

«quomodo . . . vestiti tunicis pelliceis»: amiserunt igitur illam originalem rectitudinem, qua facultates corporis et animae sibi invicem harmonice subordinabantur, quaque plenitudo *pacis* et *libertatis* consistebat; — «et e paradiso expulsi», longe ab arbore *vitae*, in terram maledicto affectam ideoque tribulos et spinas iam proferentem relegati; — «sine iustitia originali, quam perdiderant», amissa gratia vitaque supernaturali, cum omnibus donis cum ipsa conexis; — «vixe-

rint in multis laboribus», colentes terram, educantes liberos, subiecti morbis corporis et tentationibus animae; — «et multa poenitentia», interna et externa; — «vixerint totam vitam suam»; tam longam, si comparetur poenae et poenitentiae constanter ferendis; tam brevem, si comparetur vitae durationi ipsis primitus concessae; finiendam tandem ineluctabili mortis fato.

Poena posterorum: «quanta corruptio genus humanum invaserit».

Amiserunt *singuli* rectitudinem originalem, succedente mentis obtenebratione atque peccati fomite; amiserunt paradisi et arboris vitae accessum, cum immortalitatis et impassibilitatis privilegio; amiserunt gratiam et dona supernaturalia; subiecti sunt laboribus et doloribus per totam vitam continuis

Hinc secuta est corruptio *universalis* et completa — corporum, per morbos mortemque ad dissolutionem festinantium; animarum, per ignorantiam et errorem in peccata labentium; totius societatis domesticae, civilis, religiosae, nationum universarum. Idque obtinebat non obstantibus tot conatibus medicorum, piorum parentum, religiosorum regum, magistratuum, legislatorum, philosophorum; immo ipsius Dei, primum Sethitas eligentis et insignibus gratiis protegentis, dein Noa-

chidas, Abrahamidas, tandem duas ex duodecim tribus. — Ex qua tam universali corruptione factum est, ut terra, quae Hierusalem pridem seu pacis civitas fuerat, versa sit in *Babel* confusionis civitatem, ubi homines a Deo alienati et internae pacis expertes continuo invicem impeterent, et tandem inimici Luciferi laqueis irretiti telisque confixi corruerent: versa sit in immensum *nosocomium,* ubi omne genus humanum infinitis corporis animaeque morbis contabesceret; in vastissimum *coemeterium,* cui mors imperaret, in quo vix locum gressui figendo reperias, a pulvere humanae corruptionis vacuum.

«Tam multis hominibus ad infernum ruentibus.»

Peccata illa erant deviatio a laude, reverentia et obsequio Dei, eaque deliberata ideoque poenae obnoxia: unde iuste merebantur animae perditionem et infernae Babylonis poenas.

Punctum II.

Factum protoparentum dis'ıtitur.

I. Perpende hoc totum factum esse:

1. *in hominibus,* qui non essent angeli, angelica scientia et robore carentes, materiae vilitate et deficientia undequaque implicati; qui essent homines, ad imaginem Dei creati,

ab ipso tam liberaliter donis ornati; quorum duo primi futuri essent protoparentes innumerabilium aliorum, futurorum heredum sive benedictionis sive maledictionis; quorum reliqui, si dona originalia salva illis constitissent, nascituri fuissent peccati expertes, et longe plerique perseveraturi praeviderentur in bono, nunc iam aeternum perituri; fuerant autem in peccatum illecti fraude Luciferi, inimici sui et Dei;

2. *a Deo* infinite iusto et infinite misericordi (cf. dicta p. 101);

3. *ob unicum peccatum mortale.* Erat peccatum inoboedientia deliberata, formalis; erat peccatum mortale, non quidem ex obiecto externo sensibili, sed ex intentione et comminatione Dei; erat peccatum unius, nam sola transgressio Adami constituit peccatum originale; erat peccatum unicum, brevissimum, momento temporis durans, mox sincerissime exsecratum. Etiamsi alia quaedam ab Adamo commissa sint peccata — gulae, infidelitatis, inordinati coniugis amoris —, tamen certum est non haec, sed solam prohibitionis divinae transgressionem constituere peccatum originale, poenarum quas recensuimus causam; immo non transgressionis cogitationem, desiderium, propositum, non fructus vetiti aspectum, apprehensionem, sed solam actualem comestionem.

II. Considera eius condemnationis *iustitiam.*

Deus stateram veluti manu tenet: hinc unicum hoc peccatum mortale, illinc omnes allatas excusationes appendit, atque levioris has esse ponderis pronuntiat. Verbum Dei huius sententiae iustitiam, utpote cui ipsum redemptionis decretum superstruatur, cum hoc ipso decreto acceptat. Sanctus Spiritus eandem sententiam, quae fundamentum sit totius ordinis gratiae restituendae, ratam habet. Eadem sententia tot sententiis in iudicio particulari datis continuo ratificatur. Eiusdem sententiae aequitas ilico agnoscebatur ab angelis, daemonibus ipsisque protoparentibus, agnoscenda in ultimo iudicio et per totam aeternitatem ab universa creatura.

Punctum III.

Factum protoparentum applicatur.

I. Ergo haec tanta poena protoparentibus eorumque posteris inflicta inferior adhuc est malitia et foeditate vel unius peccati mortalis, *vel unius mei peccati mortalis.*

Venenum fuit hoc, quod de se par erat toti alicui mundo inficiendo, dummodo ego in simili atque Adam condicione constitutus fuissem.

Appendam igitur et ego istud unum peccatum in statera. Disquiram, annon fuerit gravius peccato Adami a parte obiecti materialis? annon diuturnius duratione? annon ab illo committendo deterrere me debuerit probe perspectum excidium angelorum, protoparentum atque innumerorum aliorum?

II. Quae ergo poena manebit peccata mea mortalia *tam multa?* quae consequenter est foeditas animae meae iisdem peccatis infectae? Appendam ea rursus in statera, ponderabo numerum et in foeditate varietatem, turpitudinem singulorum materialium obiectorum, instantiam divinarum prohibitionum, specialem malitiam, quae est in iterando peccato, maxime post acceptam veniam.

III. Quid, si peccatum vel peccata iam fuerint remissa? Cf. dicta p. 104.

IV. Quid, si Dei adiuvante gratia a peccato mortali hucusque abstinui? Considera hic in Eva garrulitatem, excellentiae cupidinem, vanitatem; in Adamo praeterea uxoris affectum; qui affectus, licet in se non semper sint peccaminosi, at certe mundani sunt, peccati affines eique viam sternunt. Cum his confer

eos quibus tu indulgere consuevisti, *affectus mundanos*, eorum ex una parte cum peccato affinitatem perpende, ex altera intrinsecam vanitatem. De illis confundere secundum dicta p. 104.

V. Quomodo me habeo quoad peccata aliorum, scandalum?

VI. Perpende multiplicem in protoparentibus *indifferentiae* neglectum, remque tibi ipsi applica.

C. De tertio peccato.

Punctum I.

«Peccatum particulare cuiusvis, qui ob unum peccatum mortale ivit ad infernum.»

Praenotanda. — Fide docemur, quicumque vel unius peccati reus moriatur, eum infallibiliter in infernum delabi. Nonne reperientur eiusmodi homines, qui unico peccato commisso nec remisso mortem obierint ideoque in infernum devenerint? Eorum sane hominum alii aliorum specie peccatorum rei sunt, ita ut saltem communiores peccatorum species ibi reperiantur. Dantur igitur inter illos etiam aliqui, qui unici peccati causa sint damnati, quod sit de numero eorum, quae egomet perpetravi.

I. *Factum perpenditur.* Suppone unum aliquem ob unicum aliquod peccatum damnatum, quale tu quoque specie idem admisisti, coram te in inferna illa Babylone consistentem.

1. *Condicio ante peccatum.* Interroga illum: Tu quis es? et recensebit naturae difficultates, gratiae auxilia, adolescentiae circumstantias iis, quibus tu ipse adolevisti, perquam similes.

2. *Peccatum.* Interroga: Quomodo huc venisti? et recensebit illud ipsum peccatum, quod tu quoque admisisti, atque similem tentationis processum.

3. *Peccati poena.* Interroga: Quid hic pateris? et respondebit: «Quia crucior in hac flamma» (Lc 16, 24).

II. *Factum discutitur.* Interroga eundem illum hominem, an *iuste* se puniri arbitretur; affirmabit ipse:

1. Accepi id quod ipse *volebam.* Noram peccatori comminatum esse Deum poenam aeternam. Potui abstinere peccato neque tamen abstinui. Sciens et volens peccatum commisi.

2. *Iuste* etiam ea, quam Deus comminatus est, mihi peccatori infligitur poena. Dei

offensioni poena debetur eaque offensioni respondens, ut aversionem a Deo poena damni, conversionem ad creaturas poena sensus consequatur, item respondens dignitati Dei offensi, fine carens, aeterna.

3. Poena iuste indicta iuste etiam ilico post unicum peccatum est inflicta. Nonne illud peccatum mortale, ipso primo momento, punitionem merebatur eamque aeternam? Num Deo suspendendus erat influxus causarum naturalium, quae meam mortem effecturae erant eo ipso tempore, quo peccato foedatus eram? Idque tum, quando earundem causarum influxus respectu aliorum insontium hominum nequaquam suspendebatur? Annon tanta est malitia peccati mortalis, ut immo potuerit Deus iustissime, ipso instanti peccati, leges naturae sistere meque portento iustitiae in infernum deturbare?

Perpende tandem eam tam gravem poenam non solum *iuste* infligi post unicum peccatum mortale, sed etiam iuste *cuivis*, qui vel unici peccati reus moriatur, infligi. Circumspice caelum, circumspice purgatorium: in neutro loco quemquam reperies, qui vel unius gravis peccati reus vita cesserit. Tandem considera numerum eorum, qui propter vel unicum peccatum in infernum detrusi sunt.

III. *Factum applicatur.*

1. Quod si haec tanta poena iuste infligatur ob unicum peccatum mortale, quanta ergo sit oportet foeditas peccati mortalis! Ergo singulis meis peccatis mortalibus eadem illa respondebit poena, inerit foeditas eadem et malitia.

2. Quanta iam respondebit poena, inerit foeditas et malitia tot diversis et iteratis meis peccatis! Num forte poena aequalis poenis toties auctis totidem ob singula peccata damnatorum? Verum ne hoc quidem sufficit, nam maior est malitia eiusdem personae iterantis peccatum quam diversarum semel tantum peccantium.

Punctum II.

«Et multi alii sine numero damnati sunt ob pauciora peccata, quam quae ego feci.»

Praenotanda. — Certum est plurimos damnatos esse ob plura unico peccata. Item dubitari nequit «multos sine numero», i. e. valde multos damnatos esse ob peccata meis pauciora, si supponar multorum utique reus esse peccatorum.

I. *Factum perpenditur.* Considera iam omnes illos miserrimos homines ex illa inferni Babylone, ex illo oceano igneo capita attollentes.

1. *Condicio ante peccatum.* Interroga singulos: Tu quis es? et comperies omnes eandem atque tu habuisse naturam lapsam, eandem Dei gratiam; de cetero autem infinitam paene in illis cerni varietatem indolis, aetatis, status, originis, linguae, morum etc.

2. *Peccatum.* — Interroga singulos: Quomodo huc venisti? et comperies infinitam paene varietatem quoad species, circumstantias, combinationem, numerum peccatorum cogitatione, verbo, opere vel omissione contractorum, quibus tamen hoc unum est commune, quod peccata sint meisque peccatis numero pauciora.

3. *Peccati poena.* — Interroga singulos: Quid hic pateris? et omnes uno ore conclamabunt «Quia crucior in hac flamma» (Lc 16, 24).

II. *Factum discutitur.* Perpende hoc totum factum esse:

1. *hominibus,* creatis ad imaginem Dei, destinatis ad aeternam cum Deo unionem, Adami peccato tam fragilibus effectis; factum esse tam multis, non obstantibus prioribus

bonis operibus haud paucorum inter illos, non obstante sanguine Filii Dei, qui fusus est semel in cruce et funditur continuo in altari pro salute peccatorum;

2. *a Deo* infinite iusto, infinite misericordi;

3. *ob peccata mortalia* tam varia numero et specie. Ergo id, quod tam atrocem meretur poenam, non tam est numerus vel species peccatorum, neque peccantis condicio, sed ipsa peccati mortalis natura.

4. Considera sententiae *iustitiam*, cum peccatum quodlibet mortale sit rebellio — deliberata, plena, integra — creaturae «contra suum creatorem», i. e. maximum atque continuum benefactorem, «ac dominum» titulo firmissimo atque universalissimo creationis; rebellio «contra bonitatem infinitam», ergo dignam amore et obsequio super omnia eodemque indeficienti. Considera inferni carcerem esse structuram Dei, inspiratam ab eius sanctitate, delineatam ab eius iustitia, aedificatam eius omnipotentia, aeternam uti ipsa Dei decreta, monumentum perenne sanctitatis et iustitiae Dei.

III. *Factum applicatur.*

1. Ergo quanta est foeditas et malitia *meorum* peccatorum mortalium, quae cum peccatis illorum hominum specie sunt

eadem, numero atque hinc etiam malitia ea excedunt!

2. Ergo, attento damnatorum numero tanto, quam futilis excusatio, facile esse post peccatum mortale evadere infernum!

3. Ergo quam vesana mea stultitia, in statu vel etiam in periculo peccati mortalis incuriose perseverantis!

D. Colloquium.

I. «Imaginando Christum Dominum nostrum praesentem et in cruce positum» ex illo quaeram:

1. Tu quis es? et respondebit se esse Dei filium, coaequalem Patri, mundique universi creatorem.

2. Quid hic pateris? et perpendam tormenta extrinsecus corpori inflicta, sitim illud intrinsecus torquentem, desolationem animam opprimentem, opprobria continuo circumsonantia.

3. Quomodo in hunc statum venisti? et respondebit id factum esse propter peccata non Adae solum aut aliorum, sed propter peccata mea. Peccata mea illum de caelo in terram fecerunt descendere, illum cruci affixerunt etc.

II. «Itidem inspiciendo me ipsum» disquiram:

1. Quid egerim ego pro Christo? — Numquid nunc primum de tanta caritate filii Dei erga me audio? Minime, fuit illa una ex primis rebus, quas infans didici. Sed quid ego vicissim inde ab infantia egi pro Christo? Num studui amorem pro amore rependere? Illum offendi peccatis meis mortalibus.

2. Quid agam pro Christo? — Quid ago nunc? Meditatione perfungor foeditatis peccati. Sed quid in hac meditatione ago? Num nunc saltem in sinceram peccatorum meorum detestationem seriumque ea in posterum vitandi propositum exardesco? Heu, quam frigidum me invenio!

3. Quid agere debeam pro Christo? — Renuntiabo peccato per firmum propositum, expediam me occasionibus peccati, adhibebo media: examen tam generale quam particulare, confessionem, poenitentiam; consiliis usus viri prudentis ordinabo totam vitam meam.

III. Quibus praemissis considerationibus ipsum instituam colloquium, «discurrendo per ea sensa, quae se obtulerint».

De peccatis propriis.

Meditatio est de peccatis, i. e. de *peccatis propriis* ipsius meditantis, uti ex primo puncto clare efficitur. Dum prior meditatio peccata propria praeprimis secundum numerum concipiebat («tam multa mea peccata»), et comparative ad singula quaedam aliorum peccata, haec meditatio ipsam peccati naturam discutit, non iam ut solum «pudorem et confusionem» generet, sed «magnum et intensum dolorem et lacrimas».

In primo puncto praemittitur quidam «processus peccatorum», unde annot. 19 meditatio simpliciter «meditatio de processu peccatorum» appellatur. Processum intellige peccatorum successionem, in singulos annos continuatam, immo fortasse numero et gravitate auctam. Ille processus fit «per annos singulos vel per singula tempora». Pro iis scil., quorum vita uniformis vel peccata rariora, satis erit vitam in certas aliquas epochas dividere, puta: infantiam, iuventutem, annos ante religiosam vel sacerdotalem vocationem transactos etc. In singulis annis vel temporibus attendere iubemur «tria: locum, conversationem, officium». Quibus sane in memoriam revocatis haud erit difficile conspectum satis completum notabiliorum totius vitae pec-

catorum instituere. Efficitur quippe illis momentis compositio veluti quaedam loci, cuius ope facilius et citius tua peccata recordaberis.

Eo iam peccatorum processu praemisso, punctum secundum, tertium et quartum sensum veluti horum verborum discutiunt: ego peccavi, ego Deum offendi; ita ut secundum sistat in ipso offensae conceptu, tertium in persona offendente, quartum in persona offensa.

Amplam materiam secundum punctum offert, si non solum genericam peccati malitiam perpendas, sed specificam eorum, ad quae magis sis pronus. Non nihil obscuritatis habent verba: «etiamsi non esset prohibitum». Quorum explanatio ex comparatione praecedentis meditationis petenda est. Agitur utique de prohibitione per legem Dei positivam. Quod si enim sermo esset de sola, ut ita dicam, per legem naturae prohibitione, foeditas quaelibet et malitia in peccato contenta eo ipso eiusmodi legis naturae prohibitionem induceret. In priore igitur meditatione peccatum considerabamus non secundum specificam suam malitiam, sed generice tantum, quatenus divino servitio atque *divino mandato* opponebatur: «nolentes se adiuvare ope suae libertatis ad exhibendam reverentiam et oboedientiam suo creatori ac domino»; «cum prohibiti essent et ipsi comedentes

et ita peccantes»; «in peccando et agendo contra bonitatem infinitam». In hac meditatione peccati naturam rimamur primum generice etiam, quatenus non tam positivae Dei prohibitioni, sed divinae sapientiae, sanctitati etc. opponitur; tum vero maxime specifice, specificam eorum peccatorum malitiam perpendentes, ad quae quisque propensior invenitur. Quae meditationis pars respondet illis qui in missionibus habentur contionibus de certis quibusdam peccatis.

In consideratione personae offendentis (punctum 3) proceditur fere ea ratione, qua in universa hac peccatorum materia proceditur; ubi primum nostra tam multa peccata cum aliorum peccatis paucioribus vel etiam unico comparare, dein intrinsecam et specificam nostrorum peccatorum malitiam perpendere monemur. Similiter hoc loco meam iubeor considerare exiguitatem numericam et moralem («quantulus sim ego») comparatione omnium hominum nunc viventium, comparatione omnium angelorum et sanctorum paradisi, comparatione omnium creatorum, comparatione Dei. Utrum creatorum omnium nomine veniant soli qui ante efferebantur homines in terra viventes, angeli et sancti, vel insuper etiam daemones, reprobi, animae purgantes, non liquet. Fortasse ex-

pressio «omnia creata» complectitur creaturas omnes, etiam inanimes, sed indeterminato conceptu expressas. Postea iubeor perpendere «omnem meam corruptionem» tam corporis quam animae.

Adverte quattuor priora meditationis puncta primarie confusionis sensum praecedenti meditatione conceptum augere; solam quarti puncti postremam considerationem («eius bonitatem cum mea malitia») directe etiam doloris affectum provocare, qui tamen prioribus omnibus efficaciter praeparatur et tandem quinto puncto directe intenditur, scil. ex «admiratione» divinae misericordiae peccatorem non solum non conterentis, sed ipso quo peccaverit tempore omnis generis beneficiis prosequentis. Et licet quinto puncto directe ea tantum efferantur, quae Deus eo tempore quo in peccati statu erat homo egerat, eadem tamen consideranda item veniunt, quatenus *aeterno* Dei omnia praescientis decreto fuerant stabilita. Cf. verba praelud. de inferno: «si del amor del Señor *eterno* me olvidare». Poteris igitur hoc loco etiam perpendere beneficia redemptionis a Deo futurorum tuorum peccatorum praescio decreta atque effecta.

«Colloquium misericordiae», hisp. «*un* coloquio de misericordia», non intelligitur colloquium praecedentis meditationis, sed ipsum

huius secundi exercitii colloquium, quod versetur circa misericordiam divinam tam antehac praestitam, quae una voce «vitam» comprehenditur, quam abhinc praestandam. Porro misericordia, cum sit amor exhibitus miseris, invitat non ad miseriae solum pudorem, sed ad eiusdem perfecta contritione detestationem. Simul insinuat affectum in tertio exercitio etiam augendum, sine quo dolor nequaquam foret salutaris neque ad bonam praeparandam electionem utilis, scil. affectum *spei.* Colloquium quippe indubie enuntiat spem et veniae et gratiae obtinendae..

Punctum I.

Processus peccatorum.

Examinabo vitam per annos singulos vel singulas epochas, in singulis annis vel epochis recolendo loca, in quibus fui, personas, quibuscum conversatus sum, officia, quae mihi incubuerunt.

Postea mihi ob animam ponam definitionem peccati, quod est *offensa commissa in Deum,* et quidem *ab homine,* cum de solo hominis peccato iam agatur; Deumque rogabo lumen, ut hanc definitionem attente perpendam et peccati mortalis malitiam probe intelligam.

Punctum II.

Offensae malitia.

I. *Peccatum in genere* est:

deordinatio, infractio ordinis moralis, a Deo qui infinitus *ordo* est stabiliti, atrocior omni deordinatione; *offensa* Dei, qui summum est *ius*, atrocior omni offensa alia, quatenus ea tantum contra ius creaturarum directa concipitur, suprema in genere offensarum; *rebellio* contra Deum, infinitam *maiestatem*, atrocior omni rebellione contra quantamlibet auctoritatem creatam commissa, suprema in genere rebellionis; *ingratitudo* contra Deum, supremum *benefactorem* infinitamque *bonitatem*, atrocior omni in homines ingratitudine, suprema in genere ingratitudinis.

II. *Peccatum in specie*. Adscribuntur hic tantum aliqua ex peccatis, quae frequentiora sunt.

1. *Indifferentia religiosa*, latissimae acceptionis, quoad veritates religionis, ceteris longe sublimiores, quoad gratias religionis tam excellentes, quoad officia religionis, omnibus in proximum officiis longe sanctiora; patefaciens animum rebus mundanis unice addictum.

2. *Blasphemia*, iniuria contra Deum eiusve sanctos directa, procedens ex mente in divinis

instructa, ex ore divinae laudi consecrato, a voluntate divino servitio et amori destinata.

3. *Sacrilegium,* deliberata profanatio rerum maxime sacrarum, qua illae, cum ad salutem sint institutae, in damnationis instrumenta convertuntur.

4. *Intemperantia,* gulae supra rationem dominium, hominem infra ipsas bestias deprimens, rationem obnubilans, voluntatem infirmans, non raro individua integrasque familias misere perdens.

5. *Luxuria,* crimen magis minusve directe in ipsam generis humani propagationem directum.

III. Considera varia vitae peccata veluti *texturam* efficere iniquitatis, diversissimis peccatis contextam, obiectum summae Dei abominationis.

Punctum III.

Offendentis exilitas.

A. *Comparatur offendens cum aliis,* et quidem

I. cum omnibus hominibus nunc viventibus in terra. Quantulus sum ego:

1. numero? Europam incolunt trecenti, orbem mille milliones;

2. auctoritate? Plerique nequidem norunt me exsistere, paucissimi norunt nomen, etiam pauciores occupationem, officium etc. Neque immerito tam exigua fruor auctoritate:

3. quid enim mea scientia est, meum ingenium, meum robur, mea virtus, si comparentur cum ceterorum hominum scientia, ingenio, robore, virtute simul sumptis? Quid, si ego toti huic hominum multitudini bellum indicerem? Quid mea scientia nisi ignorantia? quid meum robur nisi impotentia? quid meus conatus nisi vesania?

II. Comparatur cum omnibus angelis et sanctis caeli. Cum his confer omnes homines nunc viventes in terra:

1. numero, cum tantus sit numerus angelorum, tantus numerus sanctorum, qui tot elapsis saeculis per universum orbem animas salvaverunt suas. Quod si ceteroquin etiam numero non adeo praevalerent angeli atque sancti, considera, quantum praevaleant:

2. excellentia scientiae, ingenii, experientiae, virtutis.

3. Quid, si homines omnes contra angelos et sanctos foedus inirent? Ne valerent quidem pertingere ad arcem sanctam caeli; unus radius luminis caelestis sufficeret ad

illos omnes excaecandos (cf. Gn 19, 11), unus ictus rigorem membris eorum omnium induceret (cf. Gn 32, 25; 4 Rg 19, 35).

4. Quid, si ego solus caelestibus illis agminibus indicerem bellum?

III. Comparatur offendens cum ipso Deo. Quid, si angeli et sancti universi, ac praeterea homines omnes in terris degentes Deo bellum indicerent?

1. Compara eorum numerum cum eius immensitate,

2. eius in perfectione aseitatem et infinitudinem cum eorum omnimoda contingentia et deficientia.

3. Profecto essent, quasi non essent, unico oris eius flatu consumendi atque in barathrum nihili deturbandi.

4. Quid, si solus ego ei certamine me obicerem?

B *Spectatur offendens absolute in se.* Considerabo me iam quasi ad certamen singulare procedentem contra Deum, et inquiram, quis sim:

I. corpore

corruptibili — ergo accelerandum certamen, ne forte, dum illo sim implicatus, haec misera corporis armatura putredine

dissolvatur: senescente — ergo rursus accelerandum certamen, ne illi tandem ob senectutis rigorem impar evadam.

Aggrediar illud igitur in pleno iuventutis robore. Sed, ecce emittet Deus contra me quam libuerit creaturam, et illa me interimet. Emittet angelos, et conterent me. Emittet bestias, et devorabunt me. Emittet plantas, et veneno corrodent me. Emittet ignem, et comburet me. Emittet aquam, et suffocabit me. Emittet aerem, et febre consumet me. Emittet inertem massam, et pondere suo opprimet me. Non est creatura tam vilis, quae, Deo volente, homini interimendo non sit par. — Considera catalogum morborum, qui caput, oculos, aures, pulmones, singulas corporis partes afficere mortemque inducere valeant; considera insufficientiam medicinarum, quae contra illos adhibentur. Quid autem sunt omnia ista mala nisi servi et instrumenta Dei? Quantus tandem ipse?

II. Anima.

Deponam igitur, ut ita loquar, armaturam istam inutilem corporis, quae aggravat animam, et spiritus cum Deo, qui spiritus est, contendam. Et spiritum quidem, qui in me est, non video, video autem quae ex eo prodeunt sicut ex arbore fructus, peccatorum

meorum venenosam saniem. Unde haec in anima ad imaginem Dei creata? Quanta in hac anima mentis caecitas, quanta voluntatis debilitas! Inest mihi fomes peccati, omnis generis peccatorum pestem generans. Quae ipsa tandem peccati putredo sola Dei miseratione subsistit. Initurus pugnam obvium habeo Altissimum, pone me aperit os suum abyssus nihili.

Punctum IV.

Offensi magnitudo.

Interrogabo ergo eum, qui adversarius obsistitur mihi: Tu quis es? et respondebit mihi:

I. Aeternus nomen mihi,

initio carens et fine; — ego vero creatus in tempore secundum corpus et animam, moriturus corpore, substiturus anima per solam Dei potentiam.

II. Immutabilis nomen mihi,

habens perpetuo plenitudinem perfectionis, incrementi aeque atque decrementi incapacem; — ego e contra totus mutabilis, neque semper de bono mutandus in melius; mutabilis quoad ipsam meam substantiam (Eccli 10, 12: «Rex hodiè est et cras morietur»); quoad evolutionem corporis et ani-

mae, incrementum, progressum atque regressum; quoad bona externa.

III. Omniscius nomen mihi,

sciens omnia, praeterita, praesentia et futura, nihil discens, nihil obliviscens; — ego vero scientiae tam limitatae: paucissima sciens praesentium, longe pauciora praeteritorum et futurorum; eadem sciens imperfectissime, scientiamque admixtam habens infinitis erroribus, dubiis, obscuritatibus; eadem discens operosissime, obliviscens facillime.

IV. Omnipotens nomen mihi,

valens efficere quidquid libuerit, idque de nihilo, solo actu voluntatis, sine ullá fatigatione (Ps 148, 5: «Ipse dixit, et facta sunt»; Sap 8, 1: «Attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter»); — ego paucissima valens perficere, non creans quicquam, sed tantum transformans creata a Deo (Mt 6, 27: «Quis autem vestrum cogitans potest adicere ad staturam suam cubitum unum?»); ego cum strepitu ad opus consurgens, cito fatigatione oppressus, cibo et somno reficiendus.

V. Iustissimus nomen mihi,

perfectissimae aequitatis in providendo singulis, infimis aeque atque supremis crea-

turis, in puniendo et retribuendo, in iudicio efformando; — ego iniquitatis plenus, modo ira modo favore abreptus, minorum rerum incuriosus, in iudicando praeceps, in credendo incautus.

Hinc maiores usque in me excitabo sensus pudoris, confusionis, terroris, perpendens, quantum mihi suscitaverim adversarium. Dein ad considerandum progrediar, quomodo idem Deus insuper sit VI. bonitas infinita, tam in se quam respectu aliorum; — et memoria repetens numerum et malitiam meorum peccatorum, depulsis veluti pudoris atque terroris nebulis, purissimos in meum cor recipiam radios doloris ex perfecta contritione profecti.

Punctum V.

Offensi misericordia.

Considerabo, quid egerit Deus, quo tempore ego illum peccatis offendebam. Alias homo offensus reddit iniuriam pro iniuria, improperium pro improperio, atque ita offensori aliquando aliquam suppetit excusationis speciem. Non sic Deus offensus.

I. Angeli.

Sunt ii «gladius divinae iustitiae». Manus Dei de se robusta est, quae omnes sola conterat adversarios: creavit tamen angelos, ut sint instrumenta, gladii suae iustitiae, gladii, inquam, non inanimes sed intensissimum spirantes iustitiae et sanctitatis amorem, implacabile odium paccati; gladii bene probati atque in hoc amore et odio perenniter confirmati, quo tempore Lucifer deficiebat, continuo stricti in satanam, in opera et pompas eius. — Hi igitur gladii considera, «quomodo me supportaverint», i. e. non sint elevati contra me; «et custodierint», i. e. levati sint immo contra inimicos meos, ut me ab illis defenderent; «et oraverint pro me», quod praestitere non inviti, sed repressis ad tempus odio et indignatione solam spirabant misericordiam. — Adverte id omne in angelis tandem effecisse Deum sua gratia et inspiratione.

II. Sancti,

«quomodo in eo fuerint, ut intercederent et orarent pro me», i. e. quam toti, constanter, instanter in hoc intercessionis negotio fuerint. Crescente vero intercessionis instantia proportione numeri et gravitatis meorum peccatorum, Deus eorum intercessiones nequaquam repudiabat, quin immo sua gratia et

inspiratione sollicitabat sibique acceptas fore significabat, quo ego tandem societati sanctorum iterum adiungerer.

III. Caeli, sol, luna, stellae et elementa, fructus, aves, pisces et animalia,

«quomodo me passa sint vivere et in vita conservaverint»; quomodo caeli et aer me non turbine oppresserint aut suffocaverint: sidera non mutaverint lucem in tenebras, elementa aquae et ignis me non deglutiverint aut consumpserint, animalia me non dilaniaverint etc.; quae creaturae toties alias in impiorum interitum conspiravere, at nunc Dei providentia adactae sunt, ut mihi servirent, praestarent hospitium, nutrimentum, immo delectamentum, idque vel eo ipso tempore, quo ego a Deo alienatus ad peccatum illis praeviderer esse abusurus; quae omnia ad hoc a Deo disponebantur, ut ad eius tandem cognitionem et amorem reducerer meaeque aeternae saluti restituerer.

IV. Terra,

quae Num. 16 aperuerat os suum et deglutiverat impios, «descenderuntque vivi in infernum», — «quomodo non se aperuerit, ut me absorberet creando novos infernos, ut in aeternum in illis cruciarer»; sed quomodo volente Deo patienter me sustentaverit.

V. Deus

in his creaturis omnibus, quo ego illum tempore peccatis meis offendebam, mihi beneficia largiebatur. Quin immo, iisdem ab aeterno praevisis peccatis, ab aeterno quoque decreverat non solum me creare et his aliisque beneficiis naturalibus cumulare, sed redemptorem etiam largiri filium suum unigenitum. Hinc in plenitudine temporum Verbum pro me caro factum est, cuius omnes a primo affectus, verba, operationes meam salutem intenderent. Hinc fundata ecclesia, institutum perenne absolvendi et consecrandi ministerium: ut, quo die ego post tot peccata ad Deum converti decernerem, ilico praesto esset sacerdos mea peccata condonaturus angelorumque pane me refecturus.

Colloquium.

I. Ratiocinabor ponderans magnitudinem divinae in me *misericordiae:*

1. ex abiectione meae miseriae et malitiae;
2. e divinae misericordiae constantia, non obstante mea ingratitudine;
3. e multiplicitate miserationum mihi collatarum et conferendarum;
4. exinde, quod Deus summe misericors mea nullatenus indigeat.

II. Perpendam his tot tantisque divinis miserationibus mihi imponi *obligationem* gratiarum agendarum pro praeteritis emendationisque proponendae in posterum.

1. Qui actus ipsi veluti effluvium aliquod sunt ex illo ulcere et apostemate puncti tertii, procedens a labiis divinarum laudum tam incuriis, toties verbis delinquentibus; e memoria divinorum beneficiorum et sacratissimorum officiorum tam obliviosa, recordationis rerum vanarum et scelestarum referta; e voluntate toties a creatore ingrate aversa et in creaturas inique effusa; e natura tota dependente et tamen simul rebelli, quae ne actum quidem hunc gratiarum actionis et propositi elicere valeat non opitulante Deo.

2. Perpendam, quam constanter antehac gratiarum actiones subsecuta sit ingratitudo, proposita inconstantia.

3. Tamen illi actus, debiti cum sint Deo, omnino sunt persolvendi: quos persolvam summa qua potero confusione, humilitate, sinceritate, simul tamen etiam fiducia.

Tertium exercitium.

Tertium exercitium inscribitur «repetitio primi et secundi exercitii», verum in colloquii secundo et tertio membro ea habet, quae illis exercitiis nequaquam exprimebantur quaeque ideo ante colloquium a meditante animo sunt revolvenda. Invitatur is scil. non solum ad peccatorum detestationem, sed insuper ad horrorem concipiendum deordinationis operationum suarum mundique vanitatis. Quid ea *deordinatione* intelligatur, perspicies, si adverteris quid sanctus Pater intelligat vita *ordinanda:* ordinatur scil. vita *electione aut reformatione status,* quod eruitur ex annot. 1, ex titulo exercitiorum etc. Ergo deordinatio vitae consistit eius *instabilitate* nulli certo statui adstrictae aut electo iam statui nonnisi incerte adhaerentis, cuius actiones modo sint bonae modo malae, modo huc tendant modo illuc, sine certo fine neque ex certis principiis. Cui opponitur electio seu reformatio status ex fundamenti principiis, quam hoc loco iam praeparat et insinuat sanctus Pater, sed negative primum, excitata deordinationis detestatione. At unde illa in homine statui nondum adstricto actionum deordinatio? Ea maxima ex parte tribuenda est *mundi* illecebris, quae inordinatas cordis titillant *affectiones* indifferentia

nondum subactas. Quibus se illecebris tanto facilius expediet homo, quanto longius a se «res mundanas removerit»; removebit tanto efficacius, quanto intimius earum rerum *vanitatem* perspexerit. Hinc petenda *cognitio mundi.*

Adverte, quomodo in his sanctus Pater similiter omnino procedat atque in vexillorum meditatione, ubi ad naturalem paupertatis horrorem vincendum excitat in anima generalem quendam divitiarum horrorem et paupertatis amorem, quod illae Luciferi assiduo contactu polluantur quodam modo, haec Christi contactu consecretur. Simili omnino hoc loco ratione sanctus Pater generalem excitat rerum mundanarum de se indifferentium horrorem, ob earum scil. vanitatem, atque ita nos aliquantum ultra eam animi dispositionem propellit, ad quam nos in fundamento evexerat.

Verum non illud solum sanctus Pater hoc exercitio intendit, ut nos ad horrorem deordinationis vitae rerumque mundanarum sollicitet, sed praeterea ut nos edoceat usum *colloquii intercessionis,* cuius aliqua item forma sunt *litaniae,* genus orationis S. Ignatio perquam familiare.

Punctum I.

Quis rogabo?

Repete primum et secundum exercitium «notando et moram faciendo in iis

punctis, in quibus senseris maiorem consolationem vel desolationem vel maiorem sensum spiritualem». Pondera, quis iam effectus sis post tot admissa peccata, comparans tua cum aliorum peccatis, dein internam eorum introspiciens foeditatem. Perpende, quantopere sis veniae indigus.

Punctum II.

Quem rogabo?

I. Deum.

Considera rationes, quas habes, *fiduciae in Deum;* eius in se infinitam bonitatem, huius bonitatis tot accepta argumenta: dedit mundum, dedit filium. — Dein considera tuam *infinitam paene indignitatem* et a Deo distantiam, quam colligas ex poenis angelis, Adamo aliisque inflictis, immo ex ipsis filii Dei cruciatibus: occidi filium! In Deo infinita sanctitas, in me sanctitas nulla, sed peccati multiplex foeditas. Vere in profundis iaceo prostratus: quomodo de profundis attollam vocem meam exaudiarque a Deo, qui in altissimis habitat? *Kyrie eleison!*

II. Christum.

Adverte filium stantem a dextris Patris et perpende quas habes rationes *fiduciae in Deum hominem:* cuius ipsa incarnatio donum est divinae reconciliationis, cuius cor et vul-

nera inexhaustam proclamant miserationem. — Sed inde rursum convertere ad *infinitam tuam indignitatem:* vulnera ego inflixi, cor ego aperui! Quomodo attollam vocem ad eum, quem percussi, clamaboque: *Christe audi me, Christe exaudi me!*

III. Beatam Virginem.

Conspice Mariam stantem a dextris filii et considera quas habes rationes *fiduciae in matrem virginem:* quae redemptorem concepit, novem mensibus sinu gestavit, ubera praebuit, laeta et adversa una tulit, stetit fortis sub cruce; quam filius moriens allocutus est verbis: «Mulier, ecce filius tuus». Hinc *plenus fiduciae* clames: O virgo, ego sum, qui crucifixi filium: monstra te esse matrem eius, qui pro crucifigentibus se orabat. Ego iniuriis affeci: monstra te esse matrem meam, memor verborum: «Ecce filius tuus». Filius sum: filium Christum pro me exora. *Sancta Maria, ora pro me;* mater Christi, mater divinae gratiae, refugium peccatorum, ora pro me.

Punctum III.

Quid rogabo?

I. Rogabo multa, magna, omnia — tali fretus intercessione — magna animatus in matrem, in filium, in Deum fiducia.

II. Imprimis petam quam totae hae meditationes obtrudunt gratiam: «ut sentiam internam cognitionem peccatorum meorum ac detestationem illorum»; petam cognitionem clariorem, imprimis autem magis «internam», non superficiei veluti mentis inhaerentem, sed in eadem altas agentem radices, detestationem non fucatam, sed genuinam.

III. Dein petam, «ut sentiam deordinationem operationum mearum, ut eam abhorrens me emendem meque ordinem»; deordinationem, inquam, profectam ex *instabilitate* totius vitae meae, nulli satis certo fini adstrictae, nullis certis principiis suffultae, in qua plurima casu definiantur et lubitu; deordinationem, inquam, quam constanter foveant mei *inordinati affectus* illicientes in tot primum imperfectiones, in tot inde peccata venialia, non raro fortasse in peccata etiam mortalia. Rogabo gratiam eius deordinationis emendandae, i. e. me ordinandi, disposita ex certis principiis universa vita mea subactisque ope indifferentiae inordinatis affectionibus.

IV. Tandem petam «cognitionem mundi» tam *vani*, cum res mundanae (divitiae,

honores, pompae) in se sint tam exiles, duratione tam labiles, delectatione tam fallaces, daemonisque assiduo contactu pollutae ac desecratae. Quare licet quandoque eas laudabiliter assumat quis, generatim tamen non oportet affectu me illis adhaerere, quin potius generatim eas perhorrescere et, quantum Dei patitur servitium, a me removere.

De inferno.

Meditatio de inferno explicite affirmatur esse quintum exercitium eius diei, quo fiunt meditationes de peccatis, faciendum «una hora ante coenam». Vel ex hoc uno patet, hanc meditationem e mente sancti Patris non posse alia forma tradi nisi ea, qua tradidit ipse, forma *applicationis sensuum*. Omnino enim sentit sanctus Pater nimium fatigari eum, qui exercitia facit, si uno die faciat quinque exercitia per tres potentias.

Unde ad quorundam obiectionem, hoc exercitium, uti a sancto Patre proponitur, nostro aevo parum congruere, sed poenae damni hoc exercitio potius insisti oportere, respondeo poenae damni perpendendae alium esse in exercitiis locum. Nam in fundamento,

dum animae salutem meditabare, sponte se consideranda offerebat animae perditio in poena damni maxime consistens. Rursum in tertio peccato contemplanda offerebatur inferni poena, et quidem damni pariter atque sensus. Cum ergo fundamento poena potissimum damni, in sequenti exercitio poena tam damni quam sensus consideranda fuerit proposita, nonne conveniens apparet hoc quintum exercitium, soli poenae sensus attribui? Ergo de hoc quinto exercitio omittendo quaestio esse poterit quandoque, nunquam vero de illo ita mutando, ut poenae sensus considerandae sufficiatur poena damni; ita quippe non mutatur exercitium a sancto Patre propositum, sed aliud omnino diversum introducitur.

Quodsi vero in materia peccati facienda sit applicatio sensuum, patet sensus non posse applicari naturae peccati neque poenae damni neque peccato angelorum, quae tota spiritalia sunt et a sensibus remota; neque satis efficaciter applicari poenis peccati in vita mortali ferendis, quippe quae non sint poenae absque remedio atque eos etiam, qui non ipsi peccaverunt, attingant: sed sensus applicentur necesse est *poenae sensus,* quae est in inferno. Meditationis necessarius fructus erit timor, ne in hanc

poenam aliquando incidam, et *gratiarum actio*, quod in eandem nondum inciderim: ita colloquium.

Quoad poenam sensus adverte: certum habet S. Ignatius inferni ignem esse verum ignem materialem, licet forte a nostro terrestri igne specie diversum; consequenter aliis etiam cruciatus instrumentis in Sacra Scriptura descriptis, uti fumo, sulphure, exprimuntur vera et materialia obiecta, licet ea fortasse sint suis terrenis homonymis atrociora. Porro cum poena tactus sit certa et consequenter poena auditus atque visus rationabiliter negari nequeat, iure praesumuntur alii quoque sensus, odoratus atque gustus, suis non carere cruciatibus; licetque loqui et meditari de inferni foetore, amaritudine etc.

In primo puncto illud «animas veluti in corporibus igneis» valde affine est ei, quod in primo praeludio primi exercitii habetur: «animam meam esse in hoc corpore corruptibili tamquam carcere inclusam». Ergo ad longe peiorem captivitatis statum animae illae in corporibus illis igneis incorruptibilibus damnatae sunt. Notanda etiam secundi puncti verba: «blasphemias contra Christum Dominum nostrum et contra omnes sanctos eius». Anima scil. ob culpas veniales divini amoris iam oblita (cf. P. Roothaan n. 25)

licet eius amoris attractione non moveatur, refugit tamen adhuc ab iis, quae huic amori absolute adversantur: blasphemiis, odio Dei et similibus. Non enim iam ad ima descendit, sed gradatim labitur atque a saltibus abhorret.

Colloquii affectus primarius affinis est ei, qui in colloquio secundi exercitii exprimebatur, gratiarum actionis, et quidem ob idem quod illic efferebatur beneficium: ibi «quod mihi dederit vitam usque adhuc», hoc loco «non . . . finiendo vitam meam». Magnitudo beneficii secundum subiectam materiam amplificatur: «quod non siverit me incidere» — in infernum. Inferni incolarum duae categoriae describuntur: animae «aliae, eo quod adventum eius non crediderunt, aliae, quod credentes non operatae sunt iuxta eius mandata». Quae duae categoriae rursum in tres singulae classes discernuntur, «faciendo tres partes: prima ante adventum Domini; secunda vivente eo; tertia post eius vitam in hoc mundo». Invitamurque ad gratias agendas, «quod non siverit me incidere in nullam ex istis». Diversae categoriae et classes damnatorum, qui sunt damnati ob defectum sive fidei sive operum, vel quo tempore pauciores gratiae hominibus praesto erant, vel quo tempore gratiarum plenitudo ad unicam regionem restringebatur, vel quo tempore eadem medi-

ante ecclesia per totam terram diffundebatur: hae, inquam, categoriae ostendunt, quantum sit damnationis periculum, et consequenter quanta gratia huius periculi evitati. Unde merito gratias agit meditans, non tam quod non ante Christum vel eo superstite damnationem incurrerit — id enim longius petitur neque vehementem excitat affectum —, sed quod nondum sit damnatus acceptis gratiis sive pluribus sive paucioribus.

Verum, si meditatio de inferno praeter haec haberet nihil, sensus in exercitante excitaret demissiores iis, quos praecedente meditatione conceperat. Non est ea indoles meditationum ignatianarum. Quare meditatio de inferno per secundum praeambulum praecedenti meditationi nectitur et ad altius planum attollitur: «ut, si unquam amoris Domini aeterni oblitus fuero ob meas culpas, saltem timor poenarum me iuvet, ne in peccatum deveniam.»

Praecedente meditatione assurrexerat meditans ad *contritionem caritate perfectam*, considerato amore illo aeterno tot beneficiis exhibito. Non indiget alio remedio *nunc*, quia habet remedium efficacissimum, caritatem. Annon indigebit *postmodum*? Non indigebit, nisi amoris illius aeterni *oblitus* fuerit. Quomodo eius unquam obliviscatur? Nonnisi

ob culpas suas veniales deliberatas. Quae culpae inducunt teporem, tepor inducit amoris Dei oblivionem aut, ubi eius amoris memoria recurrerit, eius efficaciam sapit, dum timor poenarum suam efficaciam retinet. Huic secundo praeambulo nectitur id, quod colloquium habet: «quomodo usque adhuc semper tanta pietate et misericordia erga me usus sit.» Quod cogitatum non fluit e mera poenarum consideratione, caritati affinius est quam timori, *fiduciam* generat. Unde meditatio de inferno, immo universa de peccatis consideratio, desinit in *timorem iunctum fiduciae,* firmissimam salutis anchoram.

Punctum I.

Poena visus.

Imaginare te angelo tuo comite lente deferri versus stagnum illud ignis, infernam Babylonem.

I. *Locus.* Eccli 1, 2: «Altitudinem caeli, et latitudinem terrae, et profundum abyssi quis dimensus est?» Specta eum locum secundum «*longitudinem* et *latitudinem*» — ingentem in se, angustum comparatione multitudinis damnatorum; secundum «*profunditatem*» — infinita et insuperabili distantia separatum:

1. a purgatorio, quo tam libenter secederent damnati, diuturnam poenitentiam acturi; sed Lc 16, 26: «Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare»;

2. a terra, quo tam libenter redirent damnati ad poenitentiam agendam et merita procuranda, sed: «Inter nos et vos» etc.;

3. a caelo patria, sed: «Inter nos et vos» etc.

II. *Loci atmosphaera* — «ingentesignes»; quorum extensio tanta, ut non inveniatur locus vacuus igne, in tota illa longitudine, latitudine, profunditate inferni; quorum intensitas summa, ob tantam extensionem, sive hi ignes eiusdem speciei sint cum igne nostro terrestri, sive alterius speciei.

III. *Loci incolae* — homines, quorum «animae» immortales, creatae ad aeternam Dei in patria caelesti fruitionem, oculis nunc et facie distortis desperationem produnt, quod exsules et captivae detineantur in hoc carcere abyssi, in carceribus «corporum igneorum» eorundemque in igne incorruptibilium, inter feras pessimas, daemones scil. aliosque reprobos.

Punctum II.

Poena auditus.

Adverte, quomodo descendentis versus illum ignis abyssum auditum percellat

I. *crepitus flammarum,* veluti rugitus undarum oceani intermini, veluti fremitus ignium fornacis immensae; mox eidem intermixtus percipitur

II. sonus «*planctus*», ininterruptus, undequaque resonans, sicque continuam et universalem exprimens *tristitiam;* ex quo mox, altius te descendente, distinctius emergit

III. sonus «*ululatus*», continuo repetitus, e tam infinitis locis resonans, continuum et universale exprimens *tormentum;* in quo, altius rursum demissus, mox discernis

IV. «*clamores*», non iam res indifferentes dolorosas (tristitiam, tormentum), sed res exprimentes intrinsece malas, *rabiem* et *desperationem;* et tandem

V. *verba,* inter quae:

1. nulla divinae laudis vox neque orationis, cum tamen loci incolae omnes creati sint ad Deum laudandum;

2. nulla amicitiae vox, cum tamen incolae omnes fratres sint, ab iisdem protoparentibus progeniti;

3. sola verba exsecrationis propriae, odii aliorum, «*blasphemiae* contra Christum Dominum nostrum et contra omnes sanctos eius». Considera haec verba blasphemiae ad sancta quaeque extendi («omnes sanctos»), neque a maxime sanctis conspurcandis abstinere («Christum Dominum nostrum»); ea manifestare totam corruptionem et reprobationem animarum, conversarum ex amore in odium, ex religione in exsecrationem, ex gratia in abiectionem; horum reproborum ora esse «quasi ulcus quoddam et apostema», totam animae saniem evomens.

4. Considera ea verba non horroris sensus in adstantibus excitare, sed affectus similes, blasphemias; unde evidens efficitur omnes illas animas reprobas eodem spiritu nequitiae agi, unum efficere regnum, unam ecclesiam malitiae, in qua tot homines, tam diversae quondam originis, linguae, condicionis, vocationis, in eandem conspirent nequitiam, sputa blasphemiae contra omnipotentem effutientes.

Punctum III.

Poena olfactus.

Considera

I. ex ipsis aliorum sensuum cruciatibus effici infernum esse locum tormentorum, ideoque olfactum pariter sua ibi tormenta habere, et quidem proportionata reliquorum sensuum tormentis;

II. ea tormenta olfactum esse cruciatura omni modo, quo is sensus cruciari queat, hinc *acrimonia,* unde recte comparentur «fumo, sulphuri», *foetore,* unde recte comparentur «sentinae et rebus putridis»;

III. eas exhalationes processuras esse primarie ex ipsis reproborum corporibus, dein etiam ex circumfusa atmosphaera, ideoque fore non solum acutissimos, sed etiam continuos, irremissos, aeternos;

IV. eos cruciatus, sicut intensi olfactus cruciatus solent, extensum iri ad totam naturam sensitivam, causaturos indicibilem nauseam, infecturos gustum, perturbaturos mentem;

V. eosdem tenuem tantum fore adumbrationem spiritualis foetoris anima-

rum illarum, ex omni earum cogitatione, verbo, actione prodeuntis, Deumque ad nauseam veluti provocantis.

Punctum IV.

Poena gustus.

Considera rursum

I. ex aliorum sensuum cruciatibus quasi a priori effici sensum etiam gustus suo tormento non esse cariturum;

II. hinc apte hoc tormentum exprimi

1. per «*res amaras, ut lacrimas*»;

2. per «*tristitiam*», quae utique ipsum gustum inficere et suavia quaeque taediosa reddere valeat, eamque ortam ex conscientia tantae propriae miseriae, amissionis boni infiniti, aeternitatis et immutabilitatis huius tanti infortunii;

3. per «*vermem conscientiae*», cuius morsus utique etiam gustum pervertere possunt ob tanti infortunii culpabilitatem, iustitiam, irreparabilitatem.

III. Considera, quomodo in hoc cruciatu corpus torqueat animam, et anima vicissim corpus, in aeternum eidem permansura unita.

IV. Considera eius cruciatus in suo genere genuinitatem, nulla unquam vel minima suavitate vel consolatione temperandam.

Punctum V.

Poena tactus.

Considera, quomodo ignis inferni

I. torqueat *corpora:*

«tangit et urit». Et quidem in tota superficie, non uno loco, sed ubique simul; interius, ea atmosphaerae instar penetrans; continuo, irremisse; non tamen consumit.

II. Torquet etiam «*animas*»:

eas attingit indirecte per sensum doloris corporei; easdem «tangit et urit» directe «miris, sed veris modis» (S. Aug.); spirituale incendium generat rabiei et desperationis, cuius flammae miscentur flammis immanis et inanis desiderii potiundi summo bono, nullo iam unquam tempore explendi.

III. Adverte omnino excludi quidquid hoc tormentum lenire possit.

Adest pro *amore* odium Dei, qui eo tormento glorificatur, pro *spe* desperatio, pro *gratia* maledictio. In mediis illis flammis terret reprobum vividissima recordatio iudicis,

halitu quasi oris sui hoc incendium accendentis, cuius voces iugiter in auribus tinniunt: «*Recedite* a me, *maledicti*, in ignem *aeternum!*»

Praeterea in singulis punctis comparandus est cruciatus:

I. cum correspondentibus *deliciis caeli*, ubi considerandus:

1. locus extensione immensus, altitudine sublimis;

2. atmosphaera, lumen gloriae; extensione pervadens animas, corpora, omnia; natura clarissimum, suavissimum, indeficiens;

3. incolae: Deus, qui creator est, parens, summumque bonum; beati, i. e. animae beatae in corporibus gloriosis, in sua gloria incorruptibilibus, societate fruentes angelorum;

4. soni: cantica angelorum, colloquia beatorum, vox Patris;

5. suavitas animam et corpus pervadens, amplexus Patris in beatifica visione et amore;

6. in quibus omnibus conferas cruciatum cum delectatione, abiectionem cum gloria, aeternitatem cum aeternitate.

II. Compara cruciatum cum iis *peccati vel teporis illecebris*, quae ducunt ad infernum, conferens

1. earum exiguitatem cum tormentorum inferni immanitate;

2. earum vanitatem, quae non possessae alliciant, possessae nauseam generent, cum tormentorum horrenda veritate;

3. earum brevitatem cum horum immutabili aeternitate;

4. comparativam facilitatem illis carendi cum absoluta impossibilitate his se expediendi.

III. Compara cruciatum cum ea *mortificatione*, quae ad infernum evitandum necessaria est, conferens

1. eius mortificationis, quae immo delectat animam, exiguitatem cum tormentorum inferni immanitate;

2. brevitatem cum aeternitate;

3. comparativam facilitatem subeundae mortificationis cum absoluta impossibilitate illis se tormentis expediendi.

Colloquium.

I. Contuere *animas* illas, et

1. segrega illas in eas, quae damnatae sunt ob defectum fidei, et eas, quae damnatae sunt ob defectum operum, in eas, quae pauciores, et in eas, quae plures gratias accepere. Gratias age, quod in nulla harum classium nunc reperiaris.

2. Quarum animarum nulla caruit lumine et gratia ad salutem necessariis. Fuerint inter illas, quae maiores aliquando quam tu habuerint gratias, maiorem fervorem, generosiora proposita. Sed fuit etiam perversitas naturae, habitus pravi, illecebrae mundi, insidiae diaboli, oblitae sunt amoris Domini aeterni et perierunt. Pete gratiam sancti timoris, ne et tu pereas.

II. Elevatis sursum oculis contuere argumenta divinae misericordiae:

1. *caelum:* caelum et terram creavit Deus, omnia beneficia ordinis naturae, ut te iuvent in salvanda anima tua;

2. *crucem:* omnia beneficia ordinis supernaturalis dedit tibi Deus ad eundem finem.

3. Ex his intellige *voluntatem Dei salvificam* seriam et indefessam.

III. Pete tibi a Deo cum sancto timore ingentem fiduciam, «discurrendo per ea sensa, quae se obtulerint».

De regno Christi.

Pars I.
Rex humanus.

Punctum I.
Regis humani persona.

Proponam mihi ob oculos

I. «*regem humanum*», habentem

legitimam auctoritatem ad finem boni temporalis communitatis, congruam potentiam quoad media huic fini applicanda, convenientem cum amabilitate maiestatem ad voluntates subditorum sibi devinciendas;

II. «*quendam, ab ipso Deo Domino nostro electum*» —

qui nequaquam titulo hereditatis obtinuerit regnum, sed de se non sit nisi homo quidam, ceteris haud superior; tamen ab ipso Deo sit electus, sicut Saul quondam et David, ergo auctoritate fruatur, quae haberi possit summe legitima et sacra;

III. «*cui reverentiam exhibent et oboediunt omnes principes et omnes homines christiani*»:

ergo regnum eius vastissimae est inter homines extensionis, licet illud neque ad

praeterita tempora neque ad aeternitatem extendatur. Cuius regni cives omnes regi obsequium exhibent eius auctoritati respondens: laudem, reverentiam, oboedientiam.

Punctum II.

Regis humani contio.

Attendam, quomodo iste rex loquatur ad omnes suos dicens:

I. «*Mea voluntas est subicere universam terram infidelium.*» Considera, hoc *consilium* quam sit

iustum, cum terra infidelium iure ad hunc regem etiam pertinere supponatur; *nobile* et *liberale,* cum rex non contentus sit frui bonis iam acquisitis, sed sui regni et christianae religionis felicitatem rebellibus etiam infidelium nationibus communicare desideret; *sanctum,* tam ex obiecto quam ex divinae inspirationis origine.

II. «*Proinde, qui voluerit mecum venire debet contentus esse cibo, quo ego utar, itemque potu et vestitu etc.; similiter debet laborare ut ego interdiu, et vigilare noctu etc.*» Considera, haec *condicio* quam sit

iusta, cum eorum, qui in bellum proficiscuntur, proprium sit labores et vigilias varias-

que angustias aequo animo tolerare: *liberalis* et *humana,* cum potuerit rex, reservata sibi expeditionis directione, labores omnes in suos transferre socios; *honorifica,* aequiparans subditos principi.

III. «*Ut ita dein particeps mecum fiat victoriae, sicut fuerit laborum.*» Considera, hoc *praemium* quam sit

praeclarum, est enim honor, spolia, requies, — eximia utique in suo genere et probo labore comparata, attamen temporalia tota ideoque inania; idem tandem praemium est *incertum,* cum qui in proelio occiderint praemio nunquam sint fruituri; *transitorium,* vitae scil. humanae limitibus circumscriptum.

Punctum III.

Subditorum responsio.

I. Considerabo, «*quid debeant respondere boni subditi regi tam liberali ac tam humano*».

1. Cui?

«Regi», ratione auctoritatis, cui debetur non solum oboedientia imperanti, sed etiam obsequium invitanti; ratione divinae electionis et inspirationis, cui qui resistat, Deo resistit; — «tam liberali ac tam humano»,

ratione consilii tam iusti, sancti, nobilis; ratione modi agendi, amabilissime «petentis», ubi imperare fas est; ratione condicionis, omnem laboris excusationem praeoccupantis; ratione praemii tam liberaliter oblati.

2. Quid?

Debent «acceptare petitionem» totam quantam, ergo tam ipsam propositam expeditionem quam annexam condicionem, unde ius acquirent ad promissum praemium, et magis etiam ad regis tam amabilis gratiam.

II. Considerabo, «*si quis non acceptaret petitionem talis regis, quantopere dignus esset, qui vituperaretur ab universo mundo et ignavus haberetur eques*».

Si quis non acceptaret petitionem tam utilem, gloriosam, sanctam — *regis* tam iuste petentis, ubi fas erat iubere — et quidem *talis* regis, tam legitimae auctoritatis, tam eximiae virtutis et amabilitatis, tam liberalem proponentis condicionem et praemium: — dignus is esset *vituperio,* eo quod manifeste sola ageretur inertia et *ignavia,* — idque *magnopere,* qui neque insigni proposita utilitate et gloria, neque gratiose invitante rege tanto ac tali, neque liberalissima concessa condicione ad quicquam agendum permoveretur. — Illudque vituperium mereretur *ab*

universo mundo: a sodalibus secum ad comitia regia vocatis, neque ab aequalibus tantum, sed item a posteris, ab ipsis denique hostibus. Quod vituperium commode eo demonstraretur, ut ei equiti publice insignia condicionis detraherentur: gladius, calcaria, equus.

Pars II.

Christus rex.

Punctum I.

Christi regis persona et contio.

I. Videbo «*Christum Dominum nostrum, regem aeternum*».

«Christum», hominem unctum Spiritu Sancto, destinatum mundi servatorem. «Dominum nostrum», i. e. Deum, Dei filium, dominum supremum, omnis perfectionis divinae participem. «Regem aeternum», titulo originis ex David, cui regnum a Deo fuerat promissum, specialissimae unctionis Sancti Spiritus in sua humanitate susceptae, generationis aeternae ex Patre regum rege, naturae divinae. «Regem aeternum», cuius regnum in terra incipiat, in caelo consummetur, hic ignoretur et contemnatur, ibi gloriose et sine fine perduret; circumdatum «curia caelesti» gloriosae matris omniumque sanctorum.

II. «*Et coram illo universum mundum, quem ille et unumquemque in particulari vocat.*»

1. «Universum mundum», quippe cuius regnum complectatur

omnes: Iudaeos et gentiles, superiores et subditos, sapientes et simplices, bonos et malos, reliquos et — me; *totos,* ideoque sit imprimis regnum spirituale, exigens intellectus agnitionem, voluntatis subiectionem, et inde spontaneam exsecutionis externae praestationem.

2. «Quem ille vocat»:

vocat de nihilo creator, de communi peccati infectione redemptor, idem enim est creari et redimi atque vocari ad gratiam; rursum de deordinationibus vitae vocat tam variis vocationibus particularibus gratiae. Ex qua vocatione exsurgit in creatura *obligatio* necessaria, utpote ex ipso creationis facto fluens, inviolabilis, utpote nulli alteri iuri cedens.

III. «*Et dicit: Mea voluntas est subicere totum mundum et omnes hostes, et sic intrare in gloriam Patris mei.*»

1. Eius regnum exsistit in statu *rebellionis,* quae ab Adae peccato orsa propriis cuius-

que peccatis aucta est; obtinuere regnum inimici, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae.

2. Considera Christi *voluntatem salvificam*, ipsa iam vocatione in effectum prodeuntem, liberam hominis cooperationem exigentem.

3. Quem decrevit restitutionis *modus* hic est: vult pugnare et laborare ipse, descendere in arenam et subire ipse agonem miserae nostrae naturae; hinc armaturam induit humanae naturae mortalis et passibilis, ut humanae vitae exemplo, humani oris praedicatione nos pugnandi rationem doceat, ipse hostes nostros vincat, et meritis suae vitae ac passionis et ministerio suae sanctissimae carnis nobis vitam et robur gratiae communicet; vult ipse in sua nobis humana natura caelum recludere, in caelo nobis mediator omnium gratiarum exsistere, ac tandem nos suae Patrisque in caelo aeternae gloriae facere participes.

IV. «*Proinde, qui voluerit venire mecum debet mecum laborare, ut sequens me in poena, etiam sequatur me in gloria.*»

1. «Debet laborare», ut resistat peccato, quod occidit animam, et affectibus mundanis, qui ducunt ad peccatum, utque faciat se indifferentem, cum secus illis affectibus nequaquam sit restiturus: en *finis*.

2. «Debet laborare mecum», me duce, socio, adiutore, exemplari: en *condicio.*

3. «Ut sequens me» etc.: en *praemium.*

Punctum II.

Christianorum responsio.

I. «*Omnes, qui habuerint iudicium et rationem, offerent se totos ad laborem.*»

1. Intuitu *finis*,

qui consistit proxime in *labore* nobis utcumque suscipiendo, etiamsi a Christo rege non vocaremur; qui consistit ultimatim in *salute animae*, bono nobis summe et unice necessario, sine Christo nulla ratione obtinendo, quo excluso manet malum summe et unice fugiendum, sine Christo autem nulla omnino ratione evadendum; cui duplici fini obstant *hostes* nobis longe fortiores, caro fortior spiritu et daemones fortiores hominibus.

2. Intuitu *condicionis* propositae,

quae est honestissima, laborare scil. filio Dei duce et socio; facillima, laborare omnipotente adiuvante; utilissima, laborare remunerante Deo; absolute necessaria, cum qui non laboret cum Christo nequeat eum sequi in gloria, cumque tantum singuli futuri sint gloriae socii, quantum fuerint laboris

3. Intuitu *praemii* tam excellentis, permanentis.

4. Intuitu *personae Christi* tam nobilis atque amabilis, fratris, regis, Dei nostri.

II. «*Qui non acceptaret petitionem talis regis, non haberet iudicium et rationem.*» Is non haberet

1. sensum utilitatis,

cum respuat condicionem aequam, honorificam, quaestuosam; renuntiet salvatoris cooperationem hac sola condicione obtinendam, seque sponte permittat suis inimicis internis et externis; cum ita renuntiet suae aeternae gloriae et saluti, quae salvatore neglecto in tuto collocari nequit, et damnationem aeternam irrevocabiliter incurrat; ubi conferas laborem a Christo requisitum cum damnationis cruciatu, inertiae praesentis suavitatem cum aeternae beatitudinis deliciis;

2. sensum honoris,

cum declinet invitationem sui regis generosissimam, aequissimam, honorificentissimam; recedat ab universa ad quam vocabatur curia caelesti, idque ob inertiae transitoriae amorem brevisque laboris taedium;

3. sensum amoris,

cum obsistat vocationi regis gratiosissimi, fratris amantissimi, Dei infinite amabilis.

Punctum III.

Oblatio praestantior.

I. Adest ratio, ut velimus «*magis affici erga Christum regem aeternum ac dominum universalem*».

Christus quippe est «rex aeternus ac dominus universalis», infinitam in se habens bonitatem, ergo omni amore dignus. Cuius cum regnum sit duratione et extensione universale, ipse nobis non indiget, sed quod eum ad vocandos nos impellit, est infinita caritas *cordis* eius, qua nostram quaerit salutem, qua nostri similis esse voluit in terris, ut nobis suam gloriam communicare valeat in caelis. Quae cordis eius amabilitas omnibus eius affectibus, verbis, actionibus manifestatur, imprimis vero quinque gloriosis corporis eius *vulneribus*. Quorum vulnerum pro *meis peccatis* susceptorum ego causa fui; eorum intuitu in meditatione de peccatis e me ipso quaerebam: «Quid agere debeam pro Christo?» Nonne aequum est, ut ego peccator cum sim, nunc vero a Christo amanter inviter, magis afficiar erga Christum et insignem me exhibeam in eius sequela?

II. *Ex hoc affectu consequitur, ut velimus «insignes nos exhibere in omni ser-*

vitio regis» nostri. Amore nostri regis impellimur,

1. ut iam non tam nostrum bonum, quam eius beneplacitum quaeramus, idque in eius «servitio», aliter enim quam ei serviendo, cum ad hoc tota nostra condita sit natura, placere ipsi non possumus; ut eius beneplacitum in «omni» eius servitio quaeramus, cum quaevis ab eius servitio deviatio ei displiceat;

2. ut quaeramus in hoc eius servitio «insignes esse», non solum Christi invitationem acceptando, sed insuper «oblationes faciendo maioris aestimationis et maioris momenti», et quidem

a) ratione *obiecti,* offerentes nos non solum ad «laborem» subeundum, qui ad salutem in tuto collocandam requiritur, sed insuper ad ulterius «agendum contra propriam sensualitatem et contra suum amorem carnalem et mundanum»; ad Christum imitandum non solum eatenus, quatenus id ad finem salutis requiritur, sed ad ei magis placendum per absolutam imitationem «in ferendis *omnibus* iniuriis et *omni* vituperio et *omni* paupertate, tam actuali quam spirituali», idque tamquam «statum» vitae perpetuum;

b) ratione *affectus,* quo illam oblationem faciam ex matura rei consideratione «coram infinita bonitate, et in conspectu gloriosae

matris, et omnium sanctorum et sanctarum curiae caelestis», ex ardenti «desiderio», seria «voluntate» et «determinatione deliberata», nulla alia quam divinae ratificationis condicione adhibita: «dum modo sit maius servitium tuum ..., si maiestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam et statum».

De annuntiatione Dominae nostrae.

(Lc 1, 26—38).

Primum *punctum est, quod angelus S. Gabriel,* salutans Dominam nostram, ei nuntiavit conceptionem Christi Domini nostri: «*Ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, concipies in utero et paries filium.*» [1]

Secundum. Confirmat *angelus ea, quae dixerat Dominae nostrae,* nuntiando conceptionem S. Ioannis Baptistae, *dicens illi: «Et ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua. . . .»*

---

[1] In brevibus mysteriorum punctis e libro Exercitiorum descriptis ea, quae ad verbum vel fere ad verbum sunt ex evangeliis desumpta, typis distinguimus.

Tertium. *Respondit angelo Domina nostra:* «*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*»

Sacra Scriptura nobis incarnationem proponit sub duplici aspectu: primum dilectionis Patris, qui Filium suum unigenitum dederit, deinde humiliationis, exinanitionis et oboedientiae Filii. Ergo cum ex tertio praeludio contemplatio dirigatur ad magis cognoscendum et amandum *Filium,* erit meditanti sane imprimis Filii humiliatio et *humilitas* attendenda. Id ipsum punctorum consideratione confirmatur, quae nobis a sancto Patre inter mysteria vitae Christi succincte traduntur, in prima vero secundae hebdomadae contemplatione, partim saltem, fusius explicantur. Priora puncta in sequentibus littera M, posteriora littera C designabimus. Iam vero, ut S. Ignatii mentem penitius perspiciamus, ipsa primum eius verba, ex locis parallelis collecta, in medium afferemus.

Offertur igitur nobis primum «*universa* facies et ambitus terrae» (C punctum 1, Secundo), «*tota* planities vel ambitus totius mundi» (C praeamb. 1), «*magna* capacitas et ambitus mundi» (C praeamb. 2), «*plenus* hominibus» (C praeamb. 1), «ubi habitant *tam multae* gentes» (C praeamb. 2), «*omnes* gentes» (C punctum 1, Secundo), «*tam diversae*»

(C praeamb. 2), «*in tanta diversitate*, ita in vestibus ut in gestibus» (C punctum 1, Secundo), «*in tanta caecitate*» (ib.); «quomodo iurant et blasphemant etc.», «quomodo feriunt, occidunt etc.» (C punctum 2 et 3), «morientes» (C punctum 1, Primo), «quomodo moriantur et descendant ad infernum» (C punctum 1, Secundo), «eunt ad infernum» (C punctum 3); «*omnes* descendebant ad infernum» (C praeamb. 1). — Notanda dein C praeamb. 2 verba: «videre in particulari *domum* et *cubicula* Dominae nostrae, in *civitate* Nazareth, in *provincia* Galilaeae». — «*Mittendo* angelum» (C praeamb. 1), «qui illam *salutat*» (C punctum 1, Tertio); «*salutans* Dominam nostram, ei *nuntiavit* conceptionem Christi Domini nostri» (M punctum 1), «*nuntiando* conceptionem S. Ioannis Baptistae» (M punctum 2), «*agens suum officium legati*» (C punctum 3); «Domina nostra *humilians se* et *agens gratias* divinae maiestati» (C punctum 3).

Quae utvis mysterii secundum et tertium punctum vix attingant, haud obscure tamen indicant sanctum Patrem in hac contemplatione in Christi praeprimis humilitate perpendenda haesisse. Et re quidem vera, undenam potius illa quae tertio praeambulo postulatur «cognitio *intima* Domini» exordium sumere debuit, quam ab eius scrutanda humilitate?

Idque expressiones notatae suggerunt. Effertur terrae magnitudo hominumque in multitudine varietas, in peccato unitas. Aspectus universae terrae ad creationis factum nos revocat, fundamento expressum, totiusque creaturae a Deo essentialem dependentiam. Terrae magnitudo, hominum multitudini proportionata, illa creatoris in memoriam reducit verba: «Crescite et multiplicamini» etc. Externae condicionis infinita varietas in tanta perditionis unitate (nota, quoad verba et actiones sanctum Patrem *sola peccata* nominatim efferre: «iurant, blasphemant, feriunt, occidunt») rerum omnium mundanarum vanitatem inculcat. Quem sensum auget ex opposito considerata numinis maiestas, sedentis «veluti in suo solio regali, sive throno suae divinae maiestatis» (C punctum 1, Secundo), «decernentis in sua aeternitate» (C praeamb. 1), et quae ab aeterno decreta fuerunt sine ulla sui mutatione, «ubi venit plenitudo temporum» (ib.), exsecutioni mandantis. Iam vero consideratio tantae ruinae ex unico peccato in totum genus humanum derivatae totiusque nostrae salutis ex unico Ss. Trinitatis miserenti intuitu procedentis, nonne eam vividissime proclamat veritatem nihil nos ex nobis habere praeter peccatum, omne nostrum bonum a Deo descendere? Ea humilitatis tessera est. Idem insinuant voces Ss. Trinitati

attributae: «Faciamus redemptionem generis humani» (C punctum 2), cum verba creationis: «Faciamus hominem» imitentur et sic utrumque opus creationis et redemptionis totum esse Dei exprimant. — De caelo rursum deducimur in terram, ad humile videlicet «cubiculum» humilis «domus» beatae Virginis, in ignota «civitate» despectae «provinciae» sitae; ibique conspicimus cum angelum «legati officium agentem», «missum», «nuntiantem», «salutantem», i. e. tantum se demittentem et humiliantem, quantum eius glorificata natura fert Deique placitum exigit, tum beatam Virginem «se humiliantem» et «gratias agentem».

Adverte etiam expressionem «Domina nostra», quae constans est apud sanctum Patrem beatae Virginis appellatio, utique comparanda Christi appellationi «Dominus noster».

Unde vero hausit sanctus Pater grande illud cogitatum, ut contemplandum proponeret primum ambitum totius mundi, deinde personas divinas in caelo, tandem domum nazarethanam? Hausit e textu sacro, quem antiqui tam assidue meditabantur, tot editis homiliis illustrabant, e textu inquam Lc 1, 26: «Missus est angelus Gabriel» etc., ut infra patebit. Id in M explicite non habetur, implicite vero in vocibus «angelus

S. Gabriel», ubi si meditans contemplans personam scrutatur, quis sit Gabriel et unde veniat, ilico menti occurrit illud «Missus est». Materia in M in brevem sermonem comprimitur, cuius singulae fere voces sunt venae thesauri spiritualis.

Punctum I.

Incarnatio praeparatur et annuntiatur.

I. *Praeparatur.* Angelus «*missus est*»

1. *quo?* In terram. *Terram* ipsam circumspice.

Cuius *magnitudo* Dei testatur omnipotentiam et in genus humanum liberalitatem; *desolatio* peccatum inculcat protoparentis, quo ex paradiso mutata fuit terra in desertum.

Genus humanum attende.

Cuius ex *communi* origine profecta, ad *communem* finem directa infinita *varietas* effectus est divinae benedictionis: «Crescite et multiplicamini». Cf. Act 17, 26: «Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum». — Simul tamen genus humanum praeter eam, quae primitus a Deo intenta fuerat, aliam prae se fert *unitatem, peccati* scil. eiusque tam in animabus quam in corporibus seque-

larum, mortis ac damnationis; unde maledicto subiectum est *vanitatis,* qua omnis eius mundana pompa, progressus, scientia etc. expers manet pacis et meriti, quin immo omnimoda laborat impotentia evadendae mortis et damnationis et finis ultimi consequendi. Audi omnem creaturam veluti gementem (Rom 8, 22) redemptionis desiderio, quam tamen sibi ipsa comparare nequaquam potest.

2. *Unde?* Ex altissimis. *Caelum* intuere.

Cuius *magnitudo,* gloria, aeternitas gloriam enarrat Dei; relativa *desolatio* effectus est peccati primum angelorum, dein protoparentum. Adsunt quippe chori angelorum trisagion cantantes, sed innumeri loci vacant, et usque in caelum pertingunt sequelae peccati laesaque manet gloria Deo conveniens.

Deum venerare «in suo solio regali sive throno suae divinae maiestatis» constitutum.

Cuius *in unitate trinitas* prototypon est omnis creatae unitatis et varietatis; cuius tota tantae simul unitatis et varietatis perfectio characterem moralem prae se fert *sanctitatis,* quae sanctitas ad intra pax est in oppositione ad creaturae discordantiam, ad extra gloria est in oppositione ad creaturae depravationem.

Unde divinum *redemptionis decretum*

1. eundem characterem prae se fert sanctitatis tam in fine, qui est sanctificatio hominis lapsi, quam in mediis adhibendis, quae omnia sunt sanctissima, et in fructu obtinendo, qui est gloria et pax.

2. Considera Deo ad redemptionem effectui mandandam praesto fuisse media omnia: angelos humiliter oboedientes et legationem suscipere paratos, homines, praeprimis vero ineffabilem virtutem Spiritus Sancti. Iam seligit Deus ad effectum nobilissimum obtinendum suamque gloriam manifestius ostendendam instrumenta humana omnium maxime vilia: *tempus,* scil. «plenitudinem temporis» (Gal 4, 4), quando totum iam genus humanum depravatum esset, et ipse populus electus ad ruinam civilem et moralem vergeret; *locum,* despectae scil. provinciae ignotum oppidulum, et in eo humilem domunculam; *personas, mulierem unam* eamque *virginem,* ergo iuvenem, filiorum adiutorio destitutam, virili congressu non fecundatam, eandemque *desponsatam* viro, iusto quidem, degenerae tamen nobilitatis et operosae paupertatis.

II. *Annuntiatur incarnatio.* Pergit iam Deus fundamento *humilitatis* superstruere

aedificium redemptionis; quae humilitas apparet

1. in *angelo* dicente «Ave».

Eius *persona:* nunc cum gloria fruatur, etiam excelsior Deoque propior est, quam fuerat ipse ante peccatum Lucifer. — Eius *ministerium:* servit, oboedit, legationem suscipit, nuntium agit; mittitur non ad alium angelum in caelo, sed ad virginem in terra, non in palatium, sed in domunculam; missionem exsequitur rapide, accurate, laete. — Missionis *fructus:* pro angelo ministrare Deo est finis, beatitudo, gloria, atque haec speciatim legatio ineffabile ei affert gaudium et gloriam; pro genere humano pax; pro Deo gloria.

2. In *Maria.*

a) Admirare praeviam Dei in beata Virgine operationem. «Gratia plena» dicit abundantiam gratiae sanctificantis omniumque virtutum. «Dominus tecum» intimam cum Deo affirmat coniunctionem et specialem protectionem. «Benedicta tu in mulieribus» specialissimam asserit benedictionem ad finem utique praestantissimae vocationis. «Turbata est» tandem pandit ceterarum gratiarum omnium fundamentum, altissimam *humilitatem,* cuius proprium est nequaquam de praerogativis oblatis sibi complacere, quae-

que id agens novas continuo in se attrahit gratias.

b) Quo fundamento manifestato iam panditur salutare Dei quoad beatam Virginem consilium. Maria, his donis instructa, futura est *mater servatoris:* «Ecce concipies . . . et vocabis nomen eius Iesum»; *mater Dei* futura est, regis messianici aeterni: «Hic erit magnus» etc. Humili tandem virgine non exsultante ob promissam exaltationem, sed solas difficultates in re proposita advertente («Quomodo fiet istud» etc.), divina electio magnificentissime declaratur promissione *virginei* de Sancto Spiritu conceptus: «Spiritus Sanctus superveniet in te» etc.

Punctum II.

Incarnatio annuntiata confirmatur.

I. *Factum confirmans*

1. rursus characterem prae se fert *humilitatis,* uti cetera omnia, quae hoc spectant mysterium.

Adsunt quippe duae personae, iustae quidem, sed *provectae aetatis,* Zacharias et Elisabeth, a quibus igitur vix praeclarum quicquam exspectari possit. Vir sacerdos quidem est, is tamen ob loquelae defectum *irregularis,* si non secundum litteram, at certe

secundum mentem legis Mosaicae eiusque tum vigentem interpretationem. Mulier agnitae est *sterilitatis,* ergo naturali vitiata defectu. Signum ipsum verum utique est miraculum, sed *tam parum illustre,* ut, sexto inde a suo initio labente mense, ne inter cognatos quidem sit pervulgatum.

2. Idem tamen factum omnino aptum est ad veritatem propositam confirmandam.

Qua miraculum est, evincit Dei omnipotentiam; speciatim ostendit Dei omnipotentiam ad ipsas quoque generationis leges pertingere; comparatum cum angeli verbis, affirmantis illud esse signum, signum est certissimum futurae virgineae conceptionis hominis Dei.

II. *Confirmationis obiectum* est ostendere, «quia non erit impossibile apud Deum omne verbum», ergo ne ipsa quidem impossibilis est Dei incarnatio, quae his verbis tamquam *possibilium omnium impossibilitati maxime affine,* seu tamquam *summum miraculum* effertur. Atque illa reapse in Sacra Scriptura et liturgia ecclesiastica iis designatur expressionibus, quae miraculum aliquod prorsus stupendum sonent.

Incarnatione quippe filius Dei «descendit de caelo», aulam et thronum (Mt 5, 34) relinquens et regiam dignitatem abdicans. «Formam servi accepit», induens praeterea habitum suo statu longe inferiorem. «Non horruit virginis uterum», locum creatorum omnium purissimum et sanctissimum, idque agens abnegavit veluti divinitatis in humanas imperfectiones horrorem. «Verbum caro factum est», uniens in se duos terminos quam maxime distantes. «Exinanivit semetipsum» et veluti annihilavit, qua voce mysterii incomprehensibilitas enuntiatur.

Punctum III.

Incarnatio consummatur.

I. «Ecce ancilla Domini.»

Supremum motivum, cui humilis virgo omnia et ipsam quoque divinam maternitatem subordinat, est *servitium Dei*, quod reapse est finis proximus, sicut totius creationis, ita etiam redemptionis, incarnationis filii Dei et beatae Virginis electionis; quo fine neglecto inde a Luciferi lapsu omnis ruina in mundum invecta fuit; quo iam observato restituitur gloria Deo, pax hominibus.

II. «Fiat mihi secundum verbum tuum.»

Quando homo omnimoda fidelitate servit Deo, divinum intellectui communicatur lumen,

ut eius cum divinis coincidant consilia, unumque sit Dei et hominis «fiat»; divina in voluntatem derivatur potentia eamque identificat quodam modo «virtuti Altissimi»; divina animae communicatur sanctitas «Spiritu Sancto superveniente»; intima Dei cum homine, tam secundum animam quam secundum carnem, immo quoad ipsam hypostasin efficitur unio, efformatur in utero virginis, obumbrante Spiritu Sancto, Christus filius Dei.

III. «Et verbum caro factum est.»

1. «Fiat» humilis virginis efficax est. Spiritus Sanctus tamquam summus sacerdos ungit servatoris humanitatem chrismate divinitatis, induit eam stola gratiae et diademate caritatis. Hinc efficitur, quod dixerat Ez 43, 5: «Et ecce, repleta erat gloria Domini domus.» Repletur gloria Christi humanitas, uncti in regem gloriae et principem pacis; repletur gloria templum virgineum, in corpore et anima; repletur gloria Spiritus Sanctus in tanti consummatione mysterii. Aeternus Pater ait: «Hic est filius meus dilectus», angeli S. Gabriele duce adorant et exsultant.

2. Considera primos affectus a Ss. Corde elicitos. «Ego servus tuus et filius ancillae tuae» (Ps 115, 16). «Ingrediens mundum

dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam» (Hebr 10, 5—7).

3. Considera Christum nunc incipientem «habitare in nobis». Vitam «exsulantis» e caelo humilitatis exorditur novem mensium incarceratione in «ergastulo» uteri virginei, habitaturus nobiscum tota vita sua mortali, habitaturus nobiscum in Ss. Sacramento.

De visitatione Dominae nostrae ad Elisabeth.

(Lc 1, 39—56.)

Primo. Cum Domina nostra visitasset Elisabeth, *S. Ioannes Baptista exsistens in utero matris suae* sensit visitationem, quam fecit Domina nostra. «*Et ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui.*»

Secundo. Domina nostra cantat canticum, *dicens:* «*Magnificat anima mea Dominum.*»

Tertio. «*Mansit Maria cum illa quasi mensibus tribus et reversa est in domum suam.*»

Fortasse licebit ad hoc mysterium referre id, quod habet sanctus Pater in contemplatione de incarnatione: «Domina nostra humilians se et *agens gratias* divinae maiestati». Certe in evangelica annuntiationis narratione nihil est, quod directe gratiarum actionem exprimat; verba: «Ecce ancilla Domini» etc., directe solam enuntiant acceptationem. Explicite vero gratias agens beata Virgo in evangelio exhibetur cantico «Magnificat», quod ad visitationis mysterium spectat, in ordine contemplationum non recensitum. Aliud exemplum, ubi sanctus Pater in corpore libri in unum contrahit quae inter mysteria duas meditationes constituunt, habetur in tertiae hebdomadae secunda contemplatione, quae complectitur, praeter mysteria a coena usque ad hortum, etiam mysteria inde usque ad domum Annae facta, quae ultima tamen ilico rursum tamquam propria meditatio secundae diei assignantur.

Punctum I.

Maria venit ad Elisabeth.

I. *Domina nostra visitat et salutat Elisabeth.*

1. Quis visitat?

«Domina nostra», i. e. mater Dei, super cunctos exaltata dignitate, charismatibus, gloria, specialiter exaltata super S. Ioannem praecursorem eiusque matrem, hos ipsos visitat, superior inferiores; in ipsa eiusque ministerio Iesus, filius Dei incarnatus, eosdem visitat.

2. Quo motivo visitat?

Humilitate impellente, cuius proprium est etiam minimis Dei inspirationibus, quarum unam angeli verba Lc 1, 36 habent, obsequi, libenter in aliis effectus divinae gratiae agnoscere, aliis libenter servire.

3. Quibus circumstantiis visitat?

«Exsurgens in diebus illis», ergo statim; «cum festinatione»; «in montana», itinere arduo, «abiit» more pauperum, pedes, cum exigua sarcinula.

II. *S. Ioannes sensit visitationem.* Insignis inest *humilis* virginis salutationi efficacia:

ilico ea operatur sanctificationem S. Io annis; eum in utero exsistentem acceptae sanctificationis conscium reddit; facit eum miraculose exsultare in utero; plenitudinem Spiritus Sancti ex ipso in matrem derivat. Adverte totam hanc gratiarum multiplicitatem occasionem sumpsisse ab unica *humillimae* virginis visitatione et salutatione, et ultimatim processisse a Verbo in statu demissimae *humilitatis* eius uterum inhabitante.

Punctum II.

Maria cantat Magnificat.

I. *Humilis* virgo de tantis propositis gratiis non sibi complacet, immo se esse «humilem ancillam» profitetur; omnem gloriam in Deum, gratiarum cunctarum originem, refundit: «Magnificat» etc.

II. Speciatim magnitudinem gratiae acceptae celebrat

1. secundum *personas*, ad quas illa extenditur,

quae sunt ipsa virgo («fecit mihi magna»), populus electus («suscepit Israel puerum suum»), totum genus humanum («omnes generationes»);

2. secundum *tempora*, ad quae extenditur:

tempus praesens («fecit mihi magna», quae nunc exstant), praeteritum («sicut locutus est ad patres nostros», quibus quae promissa sunt praestantur), futurum («ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes»);

3. secundum ipsam eius *gratiae naturam*, utpote qua egregie manifestetur Dei

a) *omnipotentia:* «fecit mihi magna, qui potens est». Ubi consideranda distantia, ad quam divina virtus operetur, de caelo scil. usque in imam peccati abyssum; adversarii, qui prosternuntur, peccatum, infernus, mors omnesque peccati effectus; ipsum opus, quod est intima inter Deum et hominem unio, primum hypostatica, secum ferens idiomatum communicationem, et efficiens Dei cum ceteris hominibus unionem; operis duratio aeternum permansuri.

b) *Sanctitas:* «et sanctum nomen eius»; ubi attendas sanctitatem, intuitu servatoris, virgini et etiam S. Ioanni collatam; sanctitatem humanitatis Christi; sanctitatem ex Christo — eius carne, doctrina, ecclesia — in universum mundum derivandam; eo fine, ut tandem omnes sancti evadant, sicut ipse Sanctus Israel sanctus est.

c) *Misericordia:* «et misericordia eius» etc.; ubi perpendas miseriae sublevandae magni-

tudinem, miserorum multitudinem seque ipsos iuvandi impotentiam, restitutionis collatae nobilitatem, motivi impellentis puritatem, cui nulla proprii commodi ratio admiscebatur.

III. Considera totum hoc incarnationis beneficii encomium procedere proxime de labiis beatae Virginis purissimis et veracissimis, ultimatim a Spiritu Sancto inspirante et a Verbo concinente.

Punctum III.

Maria apud Elisabeth commorata redit.

Genuinae humilitatis *mores* observa.

I. «Mansit Maria cum illa»,

constanter animo volvens mysteria sibi hactenus patefacta, et se exercens in humilitatis et gratitudinis affectibus; perseverans in serviendo cognatae et exercendis officiis abiectis et humilibus. Cum ipsa manebat Iesus, hos sensus inspirans et continuo maioribus gratiis remunerans.

II. «Quasi mensibus tribus.»

Maria humilis immediate ante praecursoris nativitatem quando aliae adfuturae erant mulieres, quae iuvarent Elisabeth, videtur se subtraxisse festivis occursibus et frequentioribus colloquiis.

III. «Et reversa est»

sine festinatione, sed etiam sine cunctatione; sine salutationibus aut confabulationibus in via; perseverans in contemplatione eorundem mysteriorum et in affectibus humilitatis et gratitudinis, Iesu cum ipsa itinerante hosque sensus continuo fovente.

IV. «In domum suam.»

Non in alienam, ad ea, quae acta fuerant, narranda; in suam, remotam, quietam, modestam, ne cum ipso quidem S. Ioseph (cf. Mt 1, 18) gratias acceptas communicans. Adverte, quam sollicite beata Virgo minima quaeque modestiae adminicula adhibeat ad praeservandam humilitatem. Considera Iesum in hac modestia, quiete, humilitate sibi summopere complacentem.

De nativitate Christi Domini nostri.

(Lc 2, 1—7 et 13 sq).

Primo. *Domina nostra* et sponsus eius Ioseph *cunt a Nazareth in Bethlehem:* «*Ascendit Ioseph a Galilaea in Bethlehem, ut profiteretur* subiectionem Caesari *cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.*»

Secundo. «*Peperit filium suum primogenitum et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio.*»

Tertio. «*Facta est multitudo militiae caelestis dicentium: Gloria in altissimis Deo.*»

Nativitatis Domini contemplationem in libris haud ita raro commendandae unice Christi paupertati adaptatam reperies. Et paupertas quidem ex evangelica narratione clare omnino elucet, et a sancto Patre in explicanda contemplatione iis verbis effertur: «considerare ea, quae faciunt . . ., ut Dominus nascatur in summa paupertate». Sed admirationem facit in mysterii primo puncto dici profectum esse S. Ioseph in Bethlehem, «ut profiteretur *subiectionem Caesari*». Quae voces cum ipsi textui inspirato explicationis gratia fuerint a sancto Patre insertae, neglegendae non sunt. Quibuscum conferre oportebit quae in contemplatione explicanda sanctus Pater subicit verbis supra allatis: «ut Dominus nascatur in summa paupertate et post tot labores, post famem, post sitim, post aestum et frigus, post iniurias et contumelias tandem moriatur in cruce», ubi utique non de sola paupertate sermo est. Dicemus igitur hac nobis contemplatione, praeter Christi

nascentis paupertatem, eius quoque perlata incommoda, humiliationes, nominatim eius sub homines subiectionem meditanda proponi. Redimus ita ad ideam S. Ignatio familiarissimam, in meditationibus regni Christi et vexillorum, in humilitatis modis et in Reg. Summ. 11 elucidatam: paupertatem cum sequentibus eam incommodis et humiliationibus (inter quas sanctus Pater oboedientiam primo omnino loco recenset) esse victum, insignia et vestitum Christi, seu — omissa metaphora — internae Christi humilitatis, quam in duobus praecedentibus mysteriis contemplati sumus, conaturalem et congenerem externum statum esse statum paupertatis et humiliationum; et ita hoc mysterium cum duobus prioribus non inepte connectitur.

Verum aliquam admirationem movet tertium huius mysterii punctum («Facta est multitudo militiae caelestis» etc.), quod ex evangelica narratione non ad nativitatis, sed ad pastorum mysterium pertinet: cur sanctus Pater huc illud transposuit? Et. primum quidem transpositio haec evangelicae veritati nullatenus officit. Licet enim in evangelio angeli nonnisi in pastorum mysterio visibiles appareant et loquentes audiantur, sine dubio prius iam praesentes aderant,

prius iam perspexerant salvatoris nativitate gloriam parari Deo, pacem hominibus. Ergo etiam licebit meditanti in ipsa nativitatis contemplatione eos eandem veritatem pronuntiantes inducere. Praeterea ea angelorum verba integrum nativitatis mysterium miriſice resumunt, incarnationis factum nativitate in lucem productum aptissime illustrant: ergo nativitatis potius mysterio iungenda erant, ne, si pastorum mysterio inserta relinquerentur, facile cum hoc mysterio omitterentur; pastorum quippe mysterium primae aut secundae diei secundae hebdomadae faciendum non assignatur, sed solum post diem duodecimam inter ea recensetur mysteria, quae ii, qui exercitia voluerint protrahere, addere possunt.

Punctum I.

Acta ante nativitatem.

I. *Eunt Bethlehem.*

1. *Qui* iter instituunt?

«Domina nostra», i. e. mater Dei, super cunctos exaltata dignitate, charismatibus, humilitate, exaltanda etiam gloria; «et sponsus eius Ioseph», iustus, a Deo illi sponsus assignatus, angelorum visitatione honoratus; «cum Maria . . . praegnante», ergo in utero praesens adest Iesus, verbum caro factum.

2. *Quomodo* iter instituunt?

Iesus in statu profundissimae humilitatis infans exsistit in utero matris; ipse neque incarnationis tempore mutavit parentum indigam condicionem, neque eandem mutat intuitu mox futurae nativitatis; iter instituit ad nativitatis locum, pauperibus stipatus parentibus, pauperum fruens commoditatibus, tamquam pauperis familiae membrum mundum ingressurus.

3. *Quare* iter instituunt?

a) Ioseph, filius David et electus nutritius Messiae, instituit, «ut profiteretur subiectionem Caesari»: filiorum David nobilissimus se sistit subditum Caesaris humillimum;

b) Christus item, «ut profiteretur subiectionem Caesari», ut non filius Ioseph nascatur solum, sed simul subditus Caesaris, i. e. ut vitam, pro suscepta humilitatis condicione, *oboedientiae* actu incipiat. Ubi attende auctoritatem iubentis esse usurpatam; mandatum ipsum valde fuisse onerosum matre familias praegnante, valde humilians, eo quod Ioseph «esset de domo et familia David».

c) Instituunt iter, ut consequenter ad hanc sub hominis arbitrium subiectionem «Dominus nascatur in summa *paupertate*», desti-

tuatur vel ipsis modestis commoditatibus propriae domus nazarethanae.

II. *Adveniunt Bethlehem:* «Non erat eis locus in diversorio.»

Non erat domus propria, non erat locus in domibus contribulium domus David, non erat locus in diversorio peregrinorum. Non erat *eis* locus: filio Dei in aliqua mundi, Messiae in aliqua Iudaeae civitate, filio David in Bethlehem non inveniebatur locus; sicut ipsi, neque regni eius proceribus Mariae et Iosepho; idque ob tenuem eorum et pauperem externum habitum. Is autem quare fuerat assumptus? Quia paupertas, molestia, inopia, extrusio, oboedientia conaturales sunt consequentiae et conveniens externus apparatus illius status humilitatis, quem servator incarnatione susceperat; et ut consequenter ad hanc hominum repudiationem «Dominus nascatur in summa paupertate» et omnimoda egestate.

Punctum II.

Acta in nativitate.

I. *Quando* nascitur? «Cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret.»

Impletum est naturale tempus praegnationis; quod vero id coinciderit cum momento

tam miserae egestatis, hoc ad speciem quidem fortuito accidit, revera a Ss. Trinitate fuerat ab aeterno amantissime praeordinatum. — Impletum est tempus, cuius adventum angeli a principio creationis desideraverant ad stragem in caelis factam reparandam; quod iusti omnes in terra et in limbo expetiverant, prophetae annuntiaverant; quod ipsa veluti natura irrationalis gemitibus expostulabat (Rom 8, 22); quod infernus vel maxime pertimescebat.

II. *Quis* nascitur?

Mundus iacet erroris tenebris immersus: nascitur *lux mundi.* Mundus iacet morte peccati obstrictus: nascitur *vita mundi.* Mundus iacet captivitate daemonis oppressus: nascitur *rex mundi.* Idem *rex gloriae* Deo et nobis tribuendae, idem *princeps pacis* in universo restituendae.

III. *Quomodo* nascitur?

Habitatio: «Cum essent ibi» — regis nostri palatium stabulum est, aula matre constat et nutritio. *Victus:* «peperit» — habitu hominis, servi, infantis rex noster in lucem prodit; nutritur sanguine primum, dein lacte matris, ab illa totus dependet. *Vestitus:* «pannis eum involvit» — paucis atque pauperibus, carissimis servatori, quod primum

sint matris pauperis donum. Hic regis ornatus, his suos humilitas asseclas decorat. *Lecti ratio:* «reclinavit eum in praesepio» — duro, incommodo, commodato. Hic thronus humilis regis.

IV. *Quare* ita nascitur?

«Quia non erat eis locus in diversorio»: lautiora vel diversorium suppeditasset. «Ut post labores, post famem, post sitim, post aestum et frigus, post iniurias et contumelias tandem moriatur in cruce»; «et omnia haec propter me.» 2 Cor 8, 9: «Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.» Eius paupertas manuducit nos ad paupertatem spiritualem, eius repudiatio ad amorem opprobriorum, et tandem ad humilitatem, quam possidentes divites sumus.

Punctum III.

Acta post nativitatem.

Perpende caelestium testium
1. *numerum* — «multitudo»,
2. *nobilitatem* — «militiae caelestis».

Natura angeli sunt, iidem glorificati; scientia conscii sunt consilii divini redemptionis; experientia spectatores sunt historiae mundi a principio; benevolentia hominibus sunt amici; habitationem obtinuere in caelis («caelestis»); statu «militia» sunt, exercitus regis

regum ideoque inclitissimi, pares prosternendis inferni portis ideoque valentissimi, pugnaturi usque ad diem iudicii, dein cum iudice comparituri et rationem exacturi, quantum profecerimus doctrina, quam nobis servator in hoc mysterio impertitur.

3. Perpende eorum *sententiam* «dicentium»:

a) «Gloria in excelsis Deo.» Humilitas, paupertas, oboedientia Dei incarnati reparat gloriam Dei, angelorum hominumque superbia violatam. Quae gloria complectitur etiam glorificationem nostram, pari humilitate promerendam. Humilitas gloriam operatur, demissio in excelsis efficax est, paupertas caeli divitias recludit.

b) «Et in terra pax hominibus bonae voluntatis.» Humilitas Dei incarnati est substantialis pax Deum inter et hominem. Considera intimam unionem utriusque naturae in eius persona, pacem internam Ss. Cordis Iesu cum Deo et secum ipso, eiusdem Cordis pacificam in homines dispositionem. — Ipse, constitutus a Deo «princeps pacis» offert hominibus suam pacem: unica condicio statuitur «bona voluntas», sequendi scil. eum cum eius gratia in eius humilitate, per quam itur ad pacem.

De pastoribus.

(Lc 2, 8—20.)

Primo. Nativitas Christi Domini nostri manifestatur *pastoribus per angelum:* «*Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie salvator.*»

Secundo. *Pastores* eunt *in Bethlehem:* «*Venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio.*»

Tertio. «*Reversi sunt glorificantes et laudantes Deum.*»

Mendose titulus in utraque versione habet Lc 1 loco Lc 2. — «Eunt»: Lc 2, 15 «transeamus».

Pastorum et magorum mysteria intimam cum meditatione regni Christi affinitatem habent. Uti in hac in medium prodit Christus *rex,* ita magi recens natum *regem* Iudaeorum requirunt, et pastores mittuntur ad salvatorem natum in civitate David, qui rex exspectabatur restituturus regnum Israel. Exhibet sanctus Pater regem Christum, «et coram illo *universum mundum*», dum in evangelio cernimus coram eo *reges* et *pastores,* superiores et inferiores, gentiles et Iudaeos, divites et pauperes, ergo repraesentatione quadam ve-

luti universum mundum; et merito quidem, cum de gaudio agatur, «quod erit *omni populo*». *Vocat* Christus rex universum mundum voce sua; Christus infans magos stellae apparitione, pastores angeli ministerio; vocat etiam «unumquemque in particulari», quibuscum verbis conferatur id, quod in mysteriis incarnationis et nativitatis in fine singulorum punctorum, etiam in sequentibus sane mysteriis servandum, effertur: «reflectere in me ipsum, ad capiendum aliquem fructum». Ecquid enim aliud est illa cum Dei gratia peracta «reflexio» eamque consequens spiritualis fructus, quam vocatio quaedam particularis, meditationis cuiusque materiae correspondens? Vocantur autem pastores ad transeundum et videndum, reges ad adorandum, universi ad sequendum. Illud regni Christi: «ut sequens me in poena, etiam sequatur me in gloria», correspondens membrum in magorum mysterio non habet; habet autem in pastorum contemplatione, ubi regis paupertas signo pannorum et praesepii, eiusdem caelestis gloria angeli annuntiantis claritate adumbratur. E contra, alia illa verba: «qui habuerint iudicium et rationem, offerent se totos ad laborem», quibus pastorum regumque adoratio proxime respondet, in regum mysterio magis etiam illustrantur opposito exemplo Herodis, non

habentis iudicium neque rationem; dum illae «*oblationes* maioris aestimationis et maioris momenti» *magorum munera* imitantur.

Punctum I.

Pastores vocantur.

I. *Pastores.*

Vocati fuerant ad gratiam et redemptionem in Adam protoparente; vocati et electi in lumbis Abrahae, patris sui; vocati omnibus illis gratiis, quibus Deus tam potenter et suaviter edocuerat et attraxerat omnes eorum maiores; vocati omnibus gratiis ipsis personaliter pridem collatis, inter quas recensenda est paupertas et humilitas ipsorum condicionis, quae in eorum animis foverat humilitatem fundatasque in humilitate fidei, spei et caritatis virtutes; vocati ipsis incarnationis et nativitatis mysteriis, quae propter ipsos etiam erant facta. Quam vocationem, ita dudum incohatam, completurus adest

II. *angelus.*

1. Eius *persona:* «claritas Dei circumfulsit eos».

Imago ea fuit claritatis increatae Dei mittentis; imago spiritualis gloriae, qua fruuntur angeli, ex quo tempore creatori vocanti ad suum servitium fideliter obsecuti sunt; imago

gloriae nobis aliquando concedendae, si Christum vocantem fideliter sequamur; imago spiritualis claritatis in mentibus pastorum, ut divinam per angelum vocationem suaviter intelligerent et lubentes sequerentur. «Circumfulgebat» eos autem claritas haec, dispellens omnes circum noctis tenebras, declarans mentibus mysteria Dei.

2. Eius *verba*.

«Nolite timere.» Prius excludendus est timor, turbatio, quam divina vocatio fructuose audiri queat. Nolite timere, frater adsum, non adversarius, nuntius Patris miserentis, non emissarius iudicis punientis. — «Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo». Introducit se ut nuntium gaudii, et magni quidem et universalis.

«Quia natus est vobis salvator», omnium ab omni malo, qui salvet a peccato eiusque sequelis, et perducat ad gratiam et gloriam, salutem aeternam. — «Qui est Christus Dominus», ergo Deus; unctus Spiritu Sancto, quo ipse nos uncturus est; Messias, in quo omnes prophetiae impleantur; rex aeternae gloriae, sed humilis simul et pauper. — «Hodie», hac nocte; «in civitate David» omnino propinqua; ergo hic et nunc. Neque igitur, sicut patriarchis, diu exspectandum, neque, sicut magis, longinquo itinere accedendum.

«Et hoc vobis signum: invenietis infantem», ergo parvulum, debilem, simul tamen amabilem, facilem accessu; «pannis involutum et positum in praesepio», eiectum, pauperem, commodis vitae destitutum; quo signo exprimitur eius regni indoles ab omnibus qui eum sequantur acceptanda, indoles humilitatis, paupertatis, abnegationis.

Quibus omnibus verbis exprimitur simul facta pastoribus invitatio et *vocatio eundi et videndi.*

Punctum II.

Pastores adveniunt.

I. *Iesus.*

Eius *persona:* Dominus, Christus, rex. Eius *cor:* vocans omnes laborantes et oneratos, distribuens omnes gratias internas et externas, cooperationem cum una gratia usque cumulans altera maiori gratia, id unum intendens, ut nos regno suo adiungat et vitae aeternae reddat participes. Eius *aula:* Maria et Ioseph, regem infantem adorantes, utque adveniat regnum eius orantes.

II. *Pastores.*

1. Considera eorum cum divina vocatione cooperationem.

«Eunt in Bethlehem.» Vocationi assentiuntur statim voluntatis proposito, sine haesitatione, aliis omnibus postpositis: «Transeamus», inquiunt, «et videamus.» Propositum voluntatis fideliter exsequuntur: «Venerunt festinantes.» Quo longius divinae vocationi obsequentes procedunt, eo magis gratia in eorum cordibus operatur, fidem, spem, caritatem adauget.

2. Considera cooperationis cum divina vocatione fructum.

«Et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem», personas ipsas; «positum in praesepio», humilitatis et paupertatis signo agnoverunt. Interna gratia illustrati plenius intellexerunt, quis hic infans esset, rex scil. et servator, Deus et homo, lumen et vita; quis Maria et Ioseph, regni eius videlicet prima germina; quis ipsorum pastorum penes illum locus, officia, exspectatio. Hinc eorum corda inflammabantur ardentissimo eius infantis *amore,* ita ut ipsum eiusque humilitatem toto affectu amplecterentur seque illi totos offerrent.

Punctum III.

Pastores redeunt.

I. *Pastores* «reversi sunt»:

gaudio et pace praelibant aeternam regni Christi felicitatem, ad pristinam vitae ratio-

nem novo spiritu redeunt. Considera huius vitae materialiter haud mutatae, sed nobiliori motivo inspiratae auctam coram Deo excellentiam.

«Glorificantes et laudantes Deum».

Sincerus amor intrinsecus comprimi nequit, sed extrinsecus etiam se manifestat. Primae gratiae fideliter cooperati, ilico alteram accipiunt: ex plenitudine affectus cordium, ex amore regis infantis atque desiderio eius amoris propagandi, ex desiderio proximum proprii gaudii participem reddendi regis infantis efficiuntur primi praecones, *statum vitae apostolicae* adumbrantes.

II. «*Maria* autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo»:

1. ipsa, ratione habita sexus et ut honorem praeveniat, silet;

2. affectuosa meditatione acta pervolvit, «frequenter in memoriam reducens vitam et mysteria Christi Domini nostri, incipiendo ab eius incarnatione, usque ad locum seu mysterium, in cuius contemplatione versabatur» (Add. 6 pro secunda hebd.);

3. considera cor Beatae Virginis, officinam divini amoris, in qua omnes divinae gratiae,

ex consideratione vitae Christi perceptae, reconduntur, custodiuntur, revolvuntur et ita animam mirifice disponunt ad alias porro divinae vocationis gratias recipiendas; unde Beata Virgo efficitur exemplar *animae per assiduam vitae Christi considerationem ad solidam electionem se praeparantis.*

III. *Iesus* omnem hunc divinae vocationis processum in animis tam Beatae Virginis quam pastorum sua gratia interna excitat, adiuvat et dirigit.

De circumcisione.

(Lc 2, 21.)

Primo. *Circumciderunt puerum Iesum.*

Secundo. «*Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.*»

Tertio. Reddunt puerum matri suae, quae compatiebatur de sanguine, qui de filio suo exibat.

In hoc mysterio attendendum est tertium punctum, quod S. Ignatius in evangelio nequaquam expressum subiecit, iubens considerare matrem *compatientem de sanguine,*

qui de filio exibat. Licebit ergo etiam in primo puncto illud inter alia contemplari, quomodo filius *patiatur sanguinis effusione*, et in secundo puncto, quomodo nobis sit Iesus, i. e. *salvator sanguinis*. Adumbratur hoc mysterio terminus, ad quem usque Dominus noster progredi in animo habet in exercenda humilitate, paupertate, oboedientia, qui terminus erit *sanguinis effusio*.

Punctum I.

Circumciditur puer.

I. *Circumcisio signum foederis*. Circumcisione fiebat homo particeps electionis et gratiarum foederis, at simul subiciebatur *legi* foederis.

1. Filius Dei incarnatione factus est servus Dei et filius parentum, nativitate factus est subditus Caesaris, circumcisione fit subditus legis. Omnem suscipit *oboedientiam*, quam Pater ab eo suscipiendam decrevit. Oboedientiam legis circumcisione susceptam tota vita fideliter servavit.

2. Subdi legi non solum est obligatio, sed est gratia, pro qua accipienda aequum est ab homine solvi *pretium*. Pretium circumcisionis *sanguis*. Disce excellentiam omnis oboedientiae, quam Deus sive praecepto sive

consilio a te exigat; pro qua, si oportuerit, alacriter solvas pretium divitias, honores, commoda vitae, sanguinem.

3. Christus circumcidebatur *octavo vitae die:* noli differre, ut subiciaris legi Dei.

II. *Circumciditur Iesus.* Puer recens natus, ergo tenellus, amabilis, innocens; rex noster, cui sequelam spopondimus; Deus. Ubi consideres

1. ipsam Christi *humanitatem* divinitati unitam et hinc, totam et in suis partibus, elevatam, sacrosanctam effectam, adorandam, infiniti iam meriti capacem, veluti paradisum quendam in universa Dei creatione.

2. In hac humanitate considera *Ss. Cor* velut fontem per totum hunc paradisum flumina vitae dispensantem et efficientem infinitam feracitatem singularum actionum.

3. In hoc demum Ss. Corde considera *Ss. sanguinem,* infinite «pretiosum» (1 Petr 1, 19), ob suam dignitatem variasque excellentissimas virtutes:

«lavandi» (Apc 1, 5) et «emundandi» (Hebr 9, 14. 1 Io 1, 7), non corporis sordes materiales, sed animae maculas spirituales;

«pacificandi» (Col 1, 20) Deum hominibus, si ille sanguis Deo pro sacrificio offeratur; hominis affectus peccato distractos, si eucharistice hauriatur; pacificatis singulis hominibus

etiam pacificandi inter se universa, «sive quae in terris, sive quae in caelis sunt» (ib.);

«sanctificandi» (Hebr 13, 12) et «vivificandi» (Io c. 6) alios.

III. *Primitiae sanguinis Iesu.* Gratiarum legis maxima *promissiones.* Promissiones legis Iesus erat *impleturus*, pretium erat soluturus totum sanguinem suum: sanguis circumcisionis primitiae sanguinis Iesu aliquando fundendi pro *salute* hominum. Cur fundendus?

1. Quia lex est a Patre statuta Hebr 9, 22: «Sine sanguinis effusione non fit remissio.» Pater ab aeterno statuerat filii sui tam pretiosum sanguinem acceptare in pretium redemptionis mundi.

2. Quia eam legem filius, inde ab ipsa incarnatione, scripserat «in medio cordis» sui (Ps 39, 9); huic igitur legi obsequens statuit humiliare se, fieri obsequens, subire incommoda usque ad sanguinem et mortem, exinaniri usque ad sanguinis et vitae renuntiationem.

3. Sic legi mortificationis, quae circumcisione repraesentatur, se subiciens, eandem legem in perpetuum sancit atque promulgat, tamquam legem fundamentalem salvationis, servandam utique ab omnibus, qui eum sequi iisdemque ac ipse vestibus indui voluerint.

Punctum II.

Nomen Iesu imponitur.

I. «*Vocatum est nomen eius Iesus.*»

Habuit ille nomen iam antea, Verbum et Filius Dei (Lc 1, 35. Apc 19, 13), nomen plenissime exprimens divinam tam naturam quam personalitatem. Assumit iam novum nomen, correspondens vocationi, quam ei adimplendam attribuit Pater in humana natura, nomen Iesus: ut sit salvator *omnium,* salvator *ab omni malo,* a peccato et omnibus eius sequelis, salvator *totus,* daturus pro salute fratrum vitam ipsam et sanguinem. Accipit autem hoc nomen titulo suae crucis: «Humiliavit semet ipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis; *propter quod* et Deus exaltavit illum et *donavit illi nomen*» etc.; sibique illud in circumcisione arrhabone veluti sui sanguinis praeoccupat.

II. «*Quod vocatum est ab angelo.*» Considera eius nominis qualitates:

1. *sanctitatem,* quod a Deo, cui trisagium canunt angeli, per sanctum angelum in terram descendat, ss. personae imponatur, totumque ad mundi sanctificationem ordinetur;

2. *suavitatem,* cum ipsum in se resumat decretum salvificum sanctissimae Trinitatis eiusque totam exsecutionem;

3. *potentiam,* cum sit angelorum hominisque lapsi tessera in profligandis spiritibus nequitiae, annexam habens divinae assistentiae promissionem.

III. «*Priusquam in utero conciperetur.*»

Hoc igitur nomen statutum est *ab aeterno,* cum caritate perpetua dilexerit nos Deus; *in aeternum,* cum omnis in aeternum salus ab hoc «Iesu» sit profectura; *unicum,* Act 4, 12: «Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.» — Ille, qui hoc nomen gestat, debuit concipi in utero, nasci et circumcidi infans, mori in cruce: sic enim lege sancitum fuerat, antequam ipse in utero conciperetur, eademque lex nos quoque manet.

Punctum III.

Redditur puer matri.

I. «*Reddunt puerum matri suae.*»

«Reddunt», nam vere puer, cor eius et sanguis pertinent ad matrem, ad fratres, ad nos; Is 9, 6: «Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis.» — Reddunt vulnere iam et nomine insignitum, enutriendum et fovendum cruci. — Reddunt «matri»: puer crucem secum defert in domum parentum, simul per eam crucem efficitur illis

Iesus. Dum ipse in parentum domo cruci vivit, parentibus quoque et fratribus et sociis eadem vita erit agenda: non datur affinitas cum Iesu et Maria, non datur salus, nisi cum ipsis crucem profiteamur; quoniam ad omnes extenditur, omniumque cordibus inscribenda est lex Patris: «Sine sanguinis effusione non fit remissio.»

II. «*Quae compatiebatur de sanguine, qui de filio suo exibat.*» In quibus perpendas

1. virginis *dolorem*, ob filii in circumcisione dolorem, ob eius futuros dolores, quorum hic dolor tantum anticipatio quaedam erat; qui virginis dolor ipse quoque arrha quaedam erat futurorum virginis dolorum;

2. virginis *solacium*, solacium quippe accepit virgo ex imposito filii nomine, quod in ea prima exseruit suam potentiam, suavitatem, sanctitatem.

3. Cruce Iesu consolationi Iesu copulata constat tota et unica nostra in terris felicitas.

De tribus regibus magis.

(Mt 2, 1—12.)

Primo. Tres reges *magi*, stellam sequentes ducem, *venerunt ad adorandum Iesum dicentes: «Vidimus stellam eius in oriente et venimus adorare eum.»*

Secundo. *Adoraverunt eum et obtulerunt ei munera: «procidentes adoraverunt eum et . . . obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham».*

Tertio. *«Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.»*

Punctum I.

Magi vocantur et adveniunt.

I. *Magi.* Considera eorum vocationis

1. *processum,* incohatum in protoparente, continuatum tota primitiva revelatione, etiam Messiae et stellae venturae promissione, promotum etiam astronomiae scientia, in magorum regione tot saeculis exculta, et ipsorum indole simplici, sincera et pia, absolutum stellae apparitione cum interna inspiratione coniuncta;

2. *obiectum — difficile* ex itineris distantia («ab oriente»), ex vocatorum condicione,

quippe qui essent inter suos scientia et dignitate praestantes; ex natura rei, quod iuberentur «venire» ad alieni populi regem eumque in subiectionis signum «adorare»; — simul in se *excellens,* cum ageretur de Deo salvatore exquirendo, et rege universorum ab ipso Deo praemonstrato adorando.

3. Considera tandem magorum cum vocatione *cooperationem.* Veniunt ab oriente patria, per desertum inhospitale, in Iudaeam terram alienam, Hierosolymam civitatem multitudine curiosa confertam, in mediam aulam Herodis, regis ambitiosi, suspiciosi, crudelis, tandem in humile stabulum urbis Bethlehem. Veniunt inferiores ad superiorem, peccatores ad servatorem. Quam eorum bonam voluntatem Deus constanter adiuvat, manuducens eos primum ea quam ipsi habebant itineris notitia, dein indicationibus accolarum, sacerdotum solemni et unanimi responso, ipsis Herodis artibus, apparente rursus stella; atque inspirans eorum mentibus perseverantiam, fiduciam, pacem, «gaudium magnum valde».

II. *Herodes et Iudaei.* Quorum considera vocationis

1. *processum* — quae praeparata fuerat tota anteriore tam primitiva quam mosaica revelatione et accurata Scripturae ad agno-

scendum Messiam aestimandaque regni eius beneficia scientia, complebatur nunc honestissime ministerio stellae et magorum; ast implicata erant eorum corda superbiae retibus et catenis, Herodis ex imperandi ambitione, Iudaeorum ex Herodi displicendi timore et ex vana suae iustitiae in lege servanda opinione;

2. *obiectum* — quod erat «rex Iudaeorum», ergo rex legitimus tam Davidica origine quam divina praesignatione, quo tempore iam Romani ruinam nationis minabantur; rex universi mundi hincque futurus gloria plebis suae Israel; rex omnium saeculorum, vita ipse et resurrectio suorum; rex salvator, liberaturus ab omni malo, collaturus omne bonum; ad quem oportebat «venire», quem oportebat «adorare»;

3. *neglectum* — turbantur omnes percepta vocatione divina (cf. Reg. ad spir. dign. 1). *Iudaei,* imprimis sacerdotes, nihil agunt, vocationem non sequuntur et hinc maxima ingratitudine peccant in Deum, filium suum unigenitum illis dantem; gravissime suo neglectu offendunt Messiam, regem et Deum suum; se exponunt periculo perdendarum omnium promissionum, immo perdendae salutis; dant grave scandalum magis non Iudaeis, sacerdotes insuper populo iudaico;

quorum neglectum compares cum obsequio irrationalis stellae et magorum non Iudaeorum. *Herodes* agit contra divinam vocationem, constituit regem Messiam perdere, et hinc pro se renuntiat omnibus redemptionis bonis, conatur totum a Deo pro salute mundi initum consilium irritare, putat se posse astu et simulatione ipsum eludere Deum.

Punctum II.

Magi adorant et munera offerunt.

I. *Iesus* in praesepio

rex est Iudaeorum, terminus omnium promissionum et omnis praeelectionis eius populi, hinc summum eius bonum maximusque benefactor; ipse est Emmanuel, Admirabilis, princeps pacis, vita, lux et salvator mundi; ipse in praesepio iacens stellam dirigit omnemque creaturam disponit ad salutem electorum, inspiratione allicit corda magorum, Herodis, Iudaeorum; idem infans est pauper, humilis, multiplici incommodo subiectus.

II. *Magi*

1. «procidentes adoraverunt eum».

Inveniunt in paupere stabulo puerum pauperem, cum Maria et Ioseph pauperibus, et stellae testimonio credunt hunc esse Iudaeorum regem. *Illustrantur,* ut agnoscant eius

regni aeternitatem et universalitatem, eius personae divinitatem ideoque infinitam amabilitatem, eius matris et nutritii dignitatem. Corpore *procidunt* coram infante, mente *agnoscunt* eius supra ipsos eminentiam, regis regum supra reges, Dei supra homines, corde prorumpunt in ardentissimos actus adorationis, amoris, oblationis sui.

2. «Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera.»

Munera offerunt in agnitionem dominii, in argumentum amoris, in pignus perfectae sui resignationis. Offerunt munera *pretiosa*, e thesauris suis deprompta, quae testentur eius agnitionis, amoris et resignationis intensitatem ipso suo pretio ipsaque sua natura, cum amor sit *aurum* mundissimum, omnem cordis affectum totamque vitam Deo consecrans, *thus* exquisitissimum, quo tota hominis vita holocaustum fiat in honorem Dei oblatum, *myrrha* efficacissima, omnem peccati corruptionem excludens.

Punctum III.

Magi revertuntur.

I. *Herodes*

fraudem machinatur humana sagacitate haudquaquam penetrandam: postulat ab illis

edoceri, quos ipse accuratissime edocuerat; intentionem simulat adorandi pueri, dum magorum interitum meditatur; incustoditos Bethlehem dimittit, ut tanto certius eos recipiat apud se; ruinam ipsis parat, postquam rogata retulerint infligendam, quod erga regem recens natum tam sinceram professi sint devotionem. Omnibus ipse mediis humanis instructus est: calliditate, simulatione, crudelitate, potentia, opibus, eiusmodi insidiarum experientia.

II. *Magi*

nihil suspicantur, nihil timent; si suspicarentur, mediis tamen humanis omnibus essent destituti. Suavissimo fruuntur gaudio, cotidie visitantes divinum infantem, familiariter conversantes cum Maria et Ioseph. Maria, quae conservaverat (Lc 2, 19) verba, omnia cum magis communicat, transfundens ex corde suo in corda ipsorum, unde augentur eorum amor et devotio.

III. *Iesus*

novit fraudes et insidias Herodis easque aliquamdiu permittit; novit devotionem magorum eosque conveniente tempore ab omni periculo expedire decretum habet; eludit tandem Herodis artes interventu quidem supernaturali, somnio ab Herode haud prae-

viso, sed minus portentoso et ita salvatoris humilitatem magis exprimente; quo penitius confunditur Herodis astus. Magos toto itinere protegit, ne detegantur praevenit, gaudio replet, magis magisque sibi coniungit.

De purificatione Dominae nostrae et praesentatione pueri Iesu.

(Lc 2, 22—39).

Primo. Deferunt puerum Iesum ad templum, *ut* praesentetur *Domino* tamquam primogenitus, et offerunt pro eo «*par turturum aut duos pullos columbarum*».

Secundo. *Simeon veniens ad templum «accepit eum in ulnas suas dicens: Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace».*

Tertio. *Anna «superveniens confitebatur Domino et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel».*

Lc: «ut sisterent eum». — Lv 12, 8: «pro ea»; vere etiam «pro eo», quae voces h. l. non sunt citatio textus sacri, sed pro explicatione adscribuntur (cf. *Ludolph* l. c. I 127).

Punctum I.

Praesentatur puer.

I. «*Deferunt puerum Iesum ad templum.*»

1. Deferunt *Iesum,* qui verum est

aurum, humanitatem habens auro divinitatis deauratam; speciatim ipse aurum est respectu sanctissimi Cordis, quod est aurum mundissimum per sanctissimos suos affectus et operationes, et sanguinis pretiosissimi, qui valore omne bonum mere creatum excedit; — est *thus,* habens suavissimum coram Deo odorem, supremam aptitudinem, ut offeratur tamquam hostia Deo; — est *myrrha,* est enim Iesus, i. e. salvator, antidotum universae peccati corruptionis, per suam gratiam, per exemplum suae humilitatis, paupertatis, crucis, quibus solis superatur peccatum, per suae carnis et sanguinis sacramentalem sumptionem.

2. Deferunt *ad templum,*

de quo Mal 3, 1: «Veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis»; huius quippe pueri templum specialiter proprium est, ut filii et heredis Davidis et Salomonis, qui templum hoc primi exstruxerunt, ut summi sacerdotis, ut Dei.

3. Deferunt *puerum*,

thesaurum scil. suum in vase fictili deferunt, cum ipse sit infans debilis et inops, qui «deferendus» sit, qui non possit se ipse praesentare, sed indigeat ut «praesentetur», qui non possit ipse «offerre», sed aliis indigeat qui offerant «pro eo».

II. «*Ut praesentetur Domino tamquam primogenitus.*» Considera in templo

sacerdotes et levitas solemniter peragentes caerimonias et sacrificia, electos loco cunctorum primogenitorum, «ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo foederis et orent pro eis» (Nm 8, 19). Ipsi infantem et parentes pauperes cum modesta columbarum oblatione adstantes non attendunt, sed ditioribus praemissis diu detinent. — Considera porro invisibilem Dei maiestatem replentem templum, Spiritum Sanctum, angelorum choros ordine dispositos intus et foris atque concinentes: «Attollite portas» etc. Hic est spiritualis templi ornatus, quem non percipiunt levitae et sacerdotes. — Pater declarat se quas levitae substituant victimas non iam esse accepturum: «Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum» (Is 1, 11). «Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam

de manu vestra» (Mal 1, 10). — Salvator paratum se offert, ut in victimarum locum succedat: «Ideo ingrediens mundum dicit» etc. (Hebr 10, 5). «Odoratusque est Dominus odorem suavitatis» (Gn 8, 21). Pater oblationem Filii *acceptat* et in Spiritu Sancto, qui est Patris et Filii mutuus amor, Filium amplectitur: «Veni sanctificator omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.» In quo Patris et Filii et Spiritus Sancti amplexu includitur ipsa etiam Filii humanitas, et in ea tota humana natura nosque ipsi.

III. «*Et offerunt pro eo par turturum aut duos pullos columbarum.*»

Offerunt Maria et Ioseph, pauperes et opinione hominum despecti; non tamen ipsi immediate suis manibus, sed per manus sacerdotum, tamquam sanctiorum et speciali vocatione a Deo super ipsos exaltatorum. — Offerunt «*secundum consuetudinem legis*», quod quinquies omnino sacer textus inculcat (Lc 2, 22 23 24 27 39): nam subditur legi Dei ipse servus Dei et filius ancillae Domini; eidem speciatim subditur in suo sacrificio crucis praefigurativo; eidem subditur non generaliter tantum, sed quoad particularia omnia, omnia perficiuntur secundum legem Domini, omnia veluti secundum Veteris Testa-

menti *rubricas.* — *Par turturum* etc., quae erat oblatio communis, eaque pauperum; audi agnos ibidem balantes, qui offerebantur pro aliis ditioribus et hominum aestimatione melioribus ipso. — Offerunt *pro eo,* non *ei,* qui est unius cum Deo naturae, latet quippe eius divinitas sub humanitatis exinanitione; *pro eo,* i. e. occasione ipsius eiusque nativitatis, et offerunt quidem unam columbam «pro peccato» (Lv 12, 6), quasi eius nativitas matrem foedasset, cum ipse iniquitates nostras portet (Is 53, 11), alteram «in holocaustum», i. e. in agnitionem pleni *dominii* Dei in ipsum, speciatim etiam quatenus destinatus est victima; *pro eo,* i. e. eius loco: sic enim omnia Veteris Testamenti sacrificia erant pro eo, ipsius sacrificium praefigurabant, ex eius futuro sacrificio virtutem hauriebant; ipse tandem sacrificandus erat in holocaustum et pro peccato.

Punctum II.

Vaticinatur Simeon.

I. *Persona.*

«*Homo iustus et timoratus*», quae verba externam imprimis sanctitatis speciem exprimunt. — Cuius iustitiae tot annis servatae causa effertur interior: «*et exspectans consolationem Israel*», haec siquidem erat

omnis externae sanctitatis radix et motivum. Instantissimis a Deo precibus expetebat hanc consolationem, adventum salvatoris atque, ut hac consolatione aliquando frueretur, colebat iustitiam. — «*Et Spiritus Sanctus erat in eo*», tamquam causa prima et primaria tam sanctae conversationis, simul tamquam eiusdem fructus et praemium. Considera, quomodo id agat Spiritus Sanctus, ut electos ducat ad Iesum, eius desiderium in eorum cordibus excitando illudque promissione sua fovendo, dein tempore a Patre statuto eos ad Iesum adducendo, «senem tamquam infantem ad Iesum manuducendo».

II. *Acta.*

1. «*Veniens in Spiritu Sancto ad templum*»: locum orationis, ubi servi adorationis tributum summo Domino persolvunt; locum immolationis; locum exauditionis, qualis fuse a Salomone describitur in ipsa primae consecrationis sollemnitate 3 Rg 8, 28 sqq; cf. v. 29: «ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus.»

2. «*Accepit eum in ulnas suas.*» Conspexit, Spiritu Sancto versus illum manuducente; eodem illustrante et inspirante agnovit in tanta paupertate, humilitate, inopia *regem*, «salutare» mundi, «lumen» mundi «ad revelationem gentium», «gloriam plebis Israel»

et hinc totius mundi, futuram unicam nostram consolationem et pacem; profudit illi ex corde suo aurum amoris, thus adorationis, myrrham propriae resignationis; amplexus est: non possumus Christum amplecti, nisi simul eius amplectamur paupertatem, humiliationem, immolationem, crucem.

III. *Verba.*

1. «*Nunc dimittis*» etc. Simeon salvatorem victimam non intra os quidem recipiens, sed ulnis tantum complexus plenissima fruitur exauditione, nihil iam terrenum desiderat, nihil formidat, ne ipsos quidem mortis terrores; particeps est consolationis et pacis in salvatoris nativitate promissae. Nos pariter Christi paupertatem et humilitatem amplecti oportet, non ut postmodum ad alia transeamus, sed ut in ipsa omnem nostram consolationem inveniamus.

2. «*Et dixit ad Mariam matrem eius*» etc. Simeon praescius mysterii passionis «compatitur» Mariae, quae tempore passionis superstes est futura, eam alloquitur in templo inspirante Spiritu Sancto, quo minus opprimatur dolore, quando visura est filium in cruce.

a) Passionem affirmat esse plane certam («positus est»);

b) non tamen effert passionis cruciatus externos sanguine circumcisionis praefiguratos, sed cordis dolorem, qui minus antea percellit imaginationem;

c) hunc dolorem affirmat in filio fore magnum passione, in matre compassione;

d) causam doloris affirmat futuram esse «contradictionem» seu inimicitias multorum, atque hinc horum ipsorum «ruinam».

Punctum III.

Confitetur Anna.

I. *Persona.*

Praeparaverat se Anna «*ieiuniis et obsecrationibus*» seu orationibus, «*nocte ac die*» sine remissione protractis; «*non discedebat de templo*» per plus quam dimidium saeculum, primum operi se applicans in fervore iuventutis, dein illud continuans in vigore maturae aetatis, tandem non desistens ab eo in debilitate senectutis; quo toto tempore exspectabat et exposcebat redemptionem et consolationem Israel, nec nimiam se collocasse operam existimabat in tanto bono impetrando.

II. *Acta.*

«*Superveniens.*» Ipsa, quae semper maneret in templo, non videtur eo nunc specialiter a Spiritu Sancto esse adducta, sed Simeone prophetante cum plurimorum admiratione supervenit etiam ipsa. Non videtur

Iesum in ulnas recepisse, sed vidisse tantum: vidit et Spiritu Sancto illustrante agnovit et ex unico aspectu repleta est consolatione.

III. *Verba.*

1. «*Confitebatur Domino.*» Coepit magnificare Dominum, quod se dignatus esset aspectu redemptoris, quod sibi manifestasset mysterium humiliationis eius, quod se tot annis ad redemptorem duxisset via utvis ardua poenitentiae et orationis, quod tantam miserationem sibi generique humano exhibuisset, pro temporali cruce aeterna conferens praemia, pro levi tribulatione immensum pondus gloriae, omnisque tribulationis socium filium suum unigenitum attribuens.

2. «*Et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.*» Verus Dei et Christi amor apostolicos sensus inspirat. Non omnes uti Simeon immediate a Spiritu Sancto manuducuntur ad Iesum, sed plerique homines ministerio aliorum hominum et synderesi rationis. Hic quoque apostolatus signaculo crucis insignitus est, cuin eius instrumenta sint mundi iudicio vilia, eiusque obiectum primarium sit humilitas crucis Christi. Requiritur in audientibus aliqua dispositio, aliqua «bona voluntas», sincera scil. «exspectatio» benedictionum redemptionis.

De fuga in Aegyptum.

(Mt 2, 13—18.)

Primo. *Herodes* volebat *occidere puerum Iesum*, itaque *occidit* Innocentes; *et* ante illorum caedem *angelus monuit Ioseph, ut fugeret in Aegyptum*: «*Surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum.*»

Secundo. *Profectus est Aegyptum* versus: «*Qui consurgens nocte secessit in Aegyptum.*»

Tertio. «*Erat ibi usque ad obitum Herodis.*»

Notentur voces a sancto Patre in secundae hebdomadae secunda die adiectae: «Fugam, *ut in exsilium,* in Aegyptum»; quae voces unam rationem indicant, ob quam e mente sancti Patris angeli mandatum S. Iosepho pergrave esse debuit. Ceteroquin hoc mysterio, quocum mysterium reditus vix non est unum, praeclarum nobis dari exemplum *oboedientiae* vix quemquam, qui de exercitiis scripsit, videtur latuisse. — Dicebamus p. 52 mysteria ab incarnatione ad reditum electionem status praeparare. Doctrina practica, quam ea nobis mysteria potissimum inculcant quaque electionem profecto prae-

parant, haec fere est: fundamentum omnis salutis et sanctitatis esse humilitatem; veram humilitatem internam affectare externum habitum paupertatis, humiliationis, oboedientiae; haec omnia non parca manu, sed ad perfectam immolationem usque esse apprehendenda; genuinam immolationis rationem constare oboedientia. Quibus propositionibus nucleus exhibetur solidae perfectionis, qualem sanctus Pater expetit et in Constitutionibus etiam expressit.

Punctum I.

S. Ioseph fugere iubetur.

I. *Herodes exhibet nobis deordinationem voluntatis divinae voluntati repugnantis.*

1. *Persona.*

Vir donis naturalibus plane eximiis ornatus, sagax, fortis, perseverans, opulentus, in altissimo loco constitutus, inter eius aevi principes arte politica utique excellens: plurimis gratiis, quas in magorum mysterio recensuimus, ad sequendam Christi regis aeterni vocationem praeparatus; attamen *superbiae* penitus mancipatus: non vult «ita se demittere, ut in omnibus oboediat legi Dei», non vult ferre Messiam regem, non exspectat consolationem Israel.

2. *Acta.*

Ex superbia consequitur deordinatio in intentione *finis* assequendi: «Herodes *volebat* occidere puerum Iesum.» «Herodes», rex, cuius erat vindicare ius et innocentiam et alios etiam a caedibus patrandis prohibere, «volebat occidere», meditabatur necem; non subito furore abreptus est, sed consilium considerate maturavit. «Puerum»: caedes paratur innocentis, qui se defendere nequeat, qui nullo suo actu offensionem dare potuerit; «Iesum»: redemptorem suum et mundi.

Ex superbia porro consequitur deordinatio in *mediorum* electione: «*itaque* occidit Innocentes.» Iesu caedes intenditur ut medium ad confirmandum proprium regnum temporale, et ad eum finem est prorsus superfluum, cum regnum Herodis temporale in nullo versetur discrimine. Infanticidium intenditur ut medium infallibile interimendi Iesu, hoc autem effectu prorsus carebit. Herodes, ceteroquin astutia et ingenio praepollens, ambitione in omni suo consilio obcaecatur, neque Deum attendit, qui omnia sua consilia eludere utique potest.

Herodes per superbiam inducitur ad *omnia reliqua vitia:* directam rebellionem contra divinum redemptionis decretum, summum

contra religionem scelus, supremum contra proximum nefas ob attentatam redemptoris universorum necem, summam iniustitiam, crudelitatem, neglectum obligationum status in tot innocentium interemptione, mendacium et hypocrisiam respectu magorum etc.

II. *Innocentes exhibent nobis exemplum voluntatis sine spontanea determinatione divinae providentiae permissae.*

Deus permittit persecutiones easque graves, etiam Innocentium, qui eas neque praevidere neque eludere valent. His persecutionibus utitur ad Innocentes sanctificandos et glorificandos. Inde a duobus fere milibus annorum infantes isti fruuntur Dei visione, et ab ecclesia speciali cultu honorantur.

III. *Sancta familia exhibet nobis exemplum voluntatis cum divina voluntate spontanee et perfecte consentientis.*

1. Deus permittit persecutiones, etiam filii sui, easque gravissimas: ergo nobis quoque adversa exspectanda sunt. Deus novit filium suum e persecutionibus eripere: ergo nos quoque eripiet. Deus filium suum eripit ad tempus, cruci postea permittendum: ergo neque nobis his in terris plena a persecutione immunitas speranda est, sed cruci nos reservari sciamus.

2. Deus filium suum servat adhibito medio quod debilium est, *oboedientia*. Cuius attendas

a) *obiectum:* «Fuge», qui est modus salutis Deo apparenter indignus humanaeque vanitati valde contrarius. «In Aegyptum», regionem dissitam, itinere arduo; regionem extraneam, «ut in exsilium» (secundae hebd. secunda die); quae semper exsilium futura erat, non patria, ergo mandatum grave. «Accipe puerum et matrem eius», teneros ambos; ergo mandatum apparenter crudele. «Surge» statim, nullo concesso tempore ad itineri necessaria procuranda; «et esto ibi, usque dum dicam tibi», tempore indeterminato; ergo mandatum apparenter contrarium humanae prudentiae.

b) *Pretium.* Per oboedientiam homo subdit Deo nobilissimam partem sui, voluntatem, et cum ea reliqua omnia; se constituit vere et plene servum Dei; item se constituit victimam holocausti, nihil omnino reservans sibi; eius intellectus conformatur summae veritati, eius voluntas subordinatur summae bonitati, eius conatibus cooperatur divina virtus et specialior Dei providentia. Oboedientia magis glorificatur Deus quam miraculis, maxime omnium oboedientia Iesu, Mariae et Ioseph, personarum omnium longe sanctissimarum.

Punctum II.

S. Ioseph fugit in Aegyptum.

I. *Qui oboediunt?*

Ioseph «iustus»: non datur vera sanctitas seclusa oboedientia; Maria mater Dei: nulla ab oboedientia eximit dignitas: Iesus homo Deus: naturae creatae est oboedire.

II. *Cui oboediunt?*

Angelo tamquam divinae voluntatis interpreti oboedit S. Ioseph; Iosepho tamquam naturali familiae capiti oboediunt Iesus et Maria; in utroque sancta familia oboedit Deo.

III. *Quomodo oboediunt?*

«Consurgens», ergo abdicata propria quiete. «Nocte», non exspectata luce neque propria adhibita maturiore consideratione. «Aegyptum versus», praeter itineris directionem vix quicquam indicatur, non pericula, non requisita; ergo abdicata humana prudentia et providentia. «Accepit puerum et matrem eius»; ergo abnegavit sensibilem earum personarum affectum. «Secessit», ergo abnegavit terrae sanctae amorem. Haec omnia praestitit, quin externe vel interne repugnaret; praestitit ad verbum, uti fuerant mandata; praestitit statim, nulla admissa mora. — In quibus

omnibus pari se perfectione submittebat Maria voluntati divinae non iam per angelum sibi, sed per S. Iosephum manifestatae. Quam Iosephi et Mariae oboedientiam Iesus et sua gratia inspirat et pari cordis sui oboedientia confirmat.

IV. *Quo fructu oboediunt?* Fructus oboedientiae est

1. gloria Deo.

Glorificatur Deus inde, quod ipse iam solus, sine concursu humanae sapientiae, per medium vilissimum fugae Herodis insidias eludat, redemptioni mundi prospiciat, ordinem a se statutum vindicet; inde, quod tam perfecte ipsi in hac oboedientia tres omnium perfectissimae voluntates immolentur. Ubi attende gloriam et complacentiam internam sanctissimae Trinitatis: «Odoratusque est Dominus odorem suavitatis»; gloriam externam ex parte omnium angelorum eam immolationem spectantium, et omnium electorum, qui eandem aliquando consideraturi essent. Quae gloria longe excellentior est ea, quae ex omnibus templi iudaici hostiis tum percipiebatur vel percipi unquam potuit, Deoque reparationem praestabat gloriae angelorum peccato, Adami eiusque posterorum peccatis laesae.

2. Pax hominibus.

Ipsa sancta familia summa in hac fuga fruitur pace, et quidem respectu periculorum itineris, a quibus se divina protectione defensum iri confidunt; respectu rectitudinis suae agendi rationis, quam norunt divinae voluntati perfecte conformari. Eorum oboedientia pacem quoque praestat ceteris hominibus propter egregium oboedientiae exemplum, cuius imitatio pacem largitur; propter meritum oboedientiae Christi, quo nobis conceditur gratia eius oboedientiae imitandae et pacis nobis comparandae.

Punctum III.

S. Ioseph in Aegypto moratur.

I. *In itinere Aegyptum versus* eadem perseveravit sanctarum illarum personarum oboedientia,

et quidem de hora in horam, de die in diem, die noctuque, sereno et tempestoso caelo, per omnes privationes omniaque pericula. Quo longius procedebant, tanto magis mutabatur regionis aspectus, Philisthinorum primum, dein Aegyptiorum, incolarum mores atque sermones, dissonabantque ab iis, quibus fuerant ipsi in Iudaea assueti; magis in dies crescebat S. Iosephi, tenerae virginis

et pueri fatigatio. Vividius usque, quo longius procederent, in eorum mentibus se sistebat memoria terrae et civitatis sanctae, domus bethlehemiticae et nazarethanae etc. Perseverabat aeque semper obscurus prospectus in futurorum condicionem et exsilii durationem. Manebat nihilominus eadem continuo resignatio, alacritas, pax Deique in hisce omnibus gloria.

II. *In adventu in Aegyptum*, tamquam in exsilii locum, item perseveravit oboedientia.

Diversa iam penitus ab iis, quibus assueti fuerant, experiebantur aeris temperiem, soli configurationem, plantas, cibum; diversos hominum vestitus, mores et maxime linguam: «Linguam, quam non noverat, audivit» (Ps 80, 6); diversam religionem eamque ethnicam. Aderat ex opposito vividissima repraesentatio terrae sanctae et templi, morum et linguae Iudaeorum. Prospectus vitae in hac regione et inter hos homines transigendae tristior etiam videbatur quam ante, incerta manebat exsilii duratio. Eadem tamen usque perseverabat oboedientiae perfectio, pax, gloria.

III. *In commorationis aegyptiacae initio.*

Iosepho et Mariae primum incolae omnes videntur fuisse ignoti, dein unum alterumve

noverunt, postmodum plures. Primo tempore in angulo domus alienae degebant, donec Ioseph humile tugurium fabricaret, quod paulatim et lente supellectile instruxit. Primo tempore Ioseph plures ut eius labore uterentur incassum rogavit; dein tenues aliquas et intermittentes artis fabrilis exercendae nactus est opportunitates; tandem eo pervenit, ut continuo prae manibus haberet, quo suis suorumque necessitatibus provideret. Quo toto tempore Maria pueri curam habebat, domui multiplici necessitate pressa prospexit. Perseverabat interim oboedientiae perfectio, animorum pax, Dei gloria.

IV. *In commorationis aegyptiacae decursu.*

Tandem sanctae personae regioni et moribus assuefactae sunt, linguam intelligebant, ex vicinis aliqui familiarius cum ipsis agebant, praesto erat domus satis commoda; Ioseph quod laboraret semper prae manibus habebat; puer et mater robustiores erant; exsilium quodam modo in patriam cedebat. Quo toto tempore Iesus, Maria, Ioseph pro beneficiis acceptis semper Deo gratias agebant, illis tamen nequaquam corda appendebant, sed meminerant in Aegypto sibi non esse manentem civitatem; semper memoriam et desiderium fovebant terrae sanctae et

templi, quo eos tandem Dei vox esset vocatura. In quorum domo aegyptiaca incohabatur illa oboedientiae vita abscondita in domo nazarethana tot annis continuanda; incipiebat Iesus proficiente aetate eam externe profiteri oboedientiam, quam incarnatione susceperat quamque professurus erat «usque ad mortem, mortem autem crucis». Perpende gloriam ex his Deo constanter partam, et pacem corda Iesu, Mariae et Iosephi implentem.

Quomodo Christus Dominus noster rediit ex Aegypto.

(Mt 2, 19—23.)

Primo. *Angelus monet Ioseph, ut revertatur in Israel:* «*Surge et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel.*»

Secundo. «*Consurgens venit in terram Israel.*»

Tertio. *Quia regnabat Archelaus, filius Herodis, in Iudaea,* refugit *in Nazareth.*

Pro «refugit» Mt: «timuit illo ire . . . secessit».

Punctum I.

S. Ioseph ex Aegypto revocatur.

I. *Ante revocationem*

in cordibus Iesu, Mariae et Iosephi contuere pacificum *desiderium* redeundi in Iudaeam, constanter et ordinatissime temperatum laeta *resignatione* manendi in Aegypto: «Non sicut ego volo, sed sicut tu.» In quam constantem trium nobilissimarum voluntatum perfectam immolationem, qua domus exsilii consecratur in templum, prospiciunt Deus et angeli, odorantes odorem sacrificii, dicitque Pater: «Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.» Deus tandem revocationis tempus determinat non secundum affectus mere naturales cordis humani, sed secundum mensuram gloriae et pacis ab ipso praedefinitam.

II. *In revocatione* considera

1. ipsum *mandatum:* «Surge» de exsilio; «accipe puerum et matrem eius», ambos iam robustiores; «et vade», non «fuge», ergo commodo itinere; «in terram Israel», patriam, terram promissam; «defuncti sunt enim» etc.: evanuit prioris periculi causa.

2. *Gaudium* et exsultationem s. familiae considera ex singulis angeli verbis conceptum, intensius et purius ex praecedente re-

signatione, ut sit anticipatio quaedam eius gaudii, quod Dominus et Sancti eius suo quisque tempore experturi sunt, cum de exsilio huius mundi vocabuntur in patriam caelestem.

Punctum II.

S. Ioseph ex Aegypto redit.

I. *Consilium redeundi init.* Oboedit S. Ioseph ad verbum, attamen cum mandati verba aliquam admittant latitudinem, intellectus utitur discretione.

Ad vocem «surge» non additur iam «nocte», quare Iesum et Mariam non media nocte excitat, sed exspectata luce, somno recreatos et cibo refectos ad iter subeundum invitat. — «Vade», non «fuge»: hinc S. Ioseph convenientem adhibet praeparationem, commoditati itineris prospicit, notis honeste valedicit; proficiscitur sine festinatione, definitis quieti horis ceterisque itineri attributis, viam commodiorem quandoque breviori praeferens. — «In terram Israel», terminum sat largae interpretationis. Hinc S. Ioseph, finem divini servitii unice prae oculis habens, secum perpendit, quonam secedere debeat, utrum Hierosolymam an Bethlehem an Nazareth; consilii sociam adhibet beatam Virginem, eundi in alterutrum locum tum com-

moda tum incommoda coram Deo perpendit, totam rem oratione Deo commendat; tandem unico permotus desiderio divini mandati non eludendi, sed ad amussim et modo circumstantiis convenientissimo exsequendi, eligit in Iudaeam prae Galilaea pergere.

II. *Consilium exsequitur.*

Adverte, quanta id faciat quiete, sine praecipitatione, ne tum quidem ubi finibus terrae promissae appropinquat; recollectione, gaudio minime impediente sed inflammante orationem. Considera gloriam ex tam perfecta oboedientia Deo, pacem ipsis s. personis profluentem.

Punctum III.

S. Ioseph secedit Nazareth.

I. «Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudaea.»

Aeque bene potuit hoc Deus prius per angelum indicare, quo praecaveret, ne Ioseph consilium minus aptum petendae Iudaeae iniret eoque inutili itinere Iesum et Mariam dirigeret. Permisit autem Deus, ut S. Ioseph falleretur et Iesum eapropter aliquamdiu inopportuno itinere Iudaeam versus deduceret, ut nos doceret superiores a prudentia in agendo utique deficere posse, nobis vero non ideo esse oboediendum, quod semper prudentissima

iniungere supponantur, sed unice quod vices gerant Dei eiusque auctoritate fungantur.

II. «Timuit illo ire.»

Non debet homo nimium suis consiliis confidere, etiamsi optima intentione et maxima circumspectione eadem iniverit; sed debet, dubio prudente superveniente, cum S. Iosepho ad orationem confugere, id enim eum fecisse ex accepto divino «responso» colligitur.

III. «Secessit (refugit) in partes Galilaeae.»

1. Deo monente propria in quibus sibi complacuerat consilia renuntiat, commodiori itineris rationi cautiorem rursus et citatiorem substituit, in omnibus tamen eodem oboedientiae spiritu regitur, eadem pace fruitur, Dei gloriam unice intendit.

2. Considera eius oboedientiae nobilitatem, per quam, modo humana coniectura praevie haud penetrando, «adimpleatur» nunc Dei voluntas pridem per prophetas expressa. Considera eiusdem oboedientiae fructum: ex oboedientia, qua S. Ioseph a Iudaea in Galilaeam deflectit, initium ducit s. familiae in Nazareth commoratio («Habitavit in Nazareth»), cum omnibus gratiis ex hac commoratione in ipsam s. familiam et in totum genus humanum derivatis.

De vita Christi Domini nostri ab anno aetatis duodecimo ad trigesimum.

(Lc 2, 51 sq.)

Primo. *Erat oboediens parentibus suis.*

Secundo. «*Proficiebat sapientia et aetate et gratia.*»

Tertio. Videtur exercitasse artem fabrilem, ut indicare videtur S. Marcus c. 6: «Nonne hic est faber?»

Vocem «Secundo» retinemus cum versione Vulgata et etiam textu hispano 1615 a P. B. de Angelis edito. P. Roothaan scribit primum «erat oboediens parentibus suis», deinde in parenthesi «proficiebat sapientia et aetate et gratia». Quando in aliquo puncto sanctus Pater verbis suis uncinis inclusum adicit evangelii textum, is textus illorum verborum solet habere confirmationem aliquam, non agit de re prorsus diversa. At secundum versionem P. Roothaan duo omnino diversa, oboedientia et profectus, primo puncto commiscentur. — Adverte duplex in versione litterali «videtur» (*hisp.:* «parece», «muestra»): dum obiectum materiale ob-

oedientiae Iesu de se iam satis tenue extenuatur adhuc eius vocis incertitudinem exprimentis repetitione, simul ipsius oboedientiae formalis nobilitas mire extollitur.

Accedimus ad ea mysteria, quibus status vitae eligendi demonstrantur. Et hoc quidem mysterium sanctus Pater ita accipi vult, ut Christus eo nobis det exemplum «pro primo statu, qui consistit in observantia mandatorum, dum parentibus suis oboediens erat» (Christus). Secus etiam *oboedientia* effertur. Ita in punctis mysterii: «Primo. Erat oboediens parentibus suis»; tertia die secundae hebdomadae: «quomodo puer Iesus erat oboediens parentibus in Nazareth»; et paulo infra: «parentibus suis oboediens erat». Distinguitur autem hoc exercitium a fugae et reditus mysteriis primum eo, quod in hisce directe S. Iosephi, in illo ipsius pueri Iesu oboedientia proponatur; deinde eo maxime, quod illic oboedientia potius *actualis* sit, hic professio oboedientiae «*status*, qui consistit in observantia mandatorum». Effertur solum quartum decalogi praeceptum; reliqua scil. mandata, dum parentibus obsequebatur, filius Dei adimplebat, quod respectu officiorum religionis ex pueri duodecim annos nati ad templum ascensu patet.

Punctum I.

Exemplum status oboedientiae mandatorum.

I. *Iesus* «erat subditus illis».

Iesus, filius Dei, Verbum Patris eique aequalis intellectu, virtute, bonitate — *illis*, i. e. matri, quae se genuisset hominem, patrique putativo, utrisque intellectu et sanctitate longe inferioribus se — *subditus erat*, subiciens omnes suas *facultates:* intellectum humanum omnium nobilissimum, constanti visione Dei illustratum, reputans omnia recta et iusta, quae facere iubebatur a parentibus; voluntatem humanam item nobilissimam, voluntati divinae constanter conformem, speciali gratiae auxilio a qualibet deordinatione necessario praeservandam; operationem externam infinitae nobilitatis, perfectionis, meriti; — subiciens has facultates in omnibus *rebus*, quascumque aut Maria aut Ioseph iuberent, et universim in tota vitae suae ratione; — omni *tempore*, ab infantia ad annum trigesimum; — oboedientiam hanc professus est non quibusdam tantum actibus, sed ut *statum* vitae permanentem. Cuius *motivum* erat Deus, quarti decalogi praecepti auctor; *obiectum* reliqua cum hoc praecepta omnia, quae a parentibus illi explicabantur et inculcabantur, uti v. g. mandatum adeundi templi.

II. *Illi*, Maria et Ioseph, coniuges et parentes.

Perpende *gratias* excellentissimas illis vel ante initum matrimonium collatas. Deinde in matrimonio considera mutuam *fidem* et *castitatem*; — *unionem*: erant enim duo in carne una, quorum scil. coniugium id unum intenderet, ut caro Filii Dei prodiret in lucem et foveretur; erant uniti unione prorsus indissolubili, quippe quam Deus effecisset immediate, haud secus atque Adami et Evae unionem; quae mutua unio originem et efficacitatem duceret ex eorum cum Deo intima unione, quam fides, religio, resignatio, iustitia manifestabant. Tandem considera eorundem *auctoritatem* in Filium Dei suaviter, uniformiter, humiliter exercitatam. Quae omnia Maria et Ioseph ut *statum* profitebantur permanentem.

Punctum II.

Status oboedientiae mandatorum fructus et valor.

I. *Iesus*

1. «*proficiebat actate.*»

A parentibus determinabatur cibi qualitas et quantitas, sacratissimo eius corpori alendo adhibenda, vestitus ratio, exercitationis corporeae mensura et ordo, somni capiendi lo-

cus, tempus, circumstantiae. Hinc sub sanctae oboedientiae influxu perficiebatur tota corporis pro nobis immolandi evolutio, humorum, qui in temperamentum influunt, complexio, sanguinis pro nobis effundendi compositio; adolescebat Christus in iustae staturae victimam, idque ab infantia ad pueritiam, a pueritia ad iuventutem, a iuventute ad maturam aetatem.

2. «*Proficiebat sapientia.*»

Licet plenus ipse esset omni sapientia et virtute, eius tamen sapientia externe gradatim manifestabatur, voluitque ipse instrui sicut reliqui infantes. Hinc sancta oboedientia moderante docebatur ipse ambulare, loqui, legere, varia agere, exercere artem fabrilem; eadem moderante formabantur eius mores externi: modestia, externa devotio ad instar morum Mariae et Iosephi; quin immo ipsarum eius virtutum externa species Mariae et Iosephi virtutes imitabatur, ut in his eorum filius ob similitudinem a conspicientibus praedicaretur. In quibus omnibus cernebatur continuus profectus, insignis quidem, sed tamen naturalem proportionem non excedens: ut de sapientia, qualis puerilem aetatem non excederet (cf. sequens mysterium), transiret ad iuvenilis et inde ad virilis sapientiae speciem, non per saltus, sed gradatim.

3. «*Proficiebat gratia apud Deum et homines.*»

Filius Dei, constitutus in *statu* oboedientiae, perfectissimum Dei *servum* se exhibebat, perfectissimum se *holocaustum* constituebat, efficacissime proficiebat perfectione suae humanae naturae. Unde Pater in hac Filii oboedientia «bene sibi complacebat», augebatque meritum proportione virtutis; Spiritus Sanctus eo «utebatur» tamquam lectissimo redemptionis mundi instrumento, in eo habitabat tamquam in templo sacratissimo, quod gratiis in dies liberalius exornabat. Quibus in dies manifestius palam apparentibus, crescebat «gratia apud homines», qui eum in dies magis venerarentur et diligerent: «Mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius» (Lc 4, 22), et «stupebant super prudentia et responsis eius» (Lc 2, 47).

II. *Maria et Ioseph*

1. *proficiebant aetate.*

Citius viris senescunt mulieres, citius etiam inter orientales quam inter occidentales; Ioseph senescebat, aegrotabat, moriebatur. Sed decrescente corporum vigore, continuo augebatur animorum virtus, nam

2. *proficiebant sapientia*

ex continua unione cum Deo, cum invicem, cum Iesu; per prospera et adversa, sanitatem et morbum, vitam et mortem;

3. *proficiebant gratia.*

Eorum quoque secundum legem Dei perseverans unio *status* erat oboedientiae, *holocaustum* nobilissimum, meriti feracissimum, Deo acceptissimum.

Punctum III.

Status oboedientiae mandatorum externa condicio.

I. *Maria et Ioseph.* .«Habitavit (Ioseph) in civitate, quae vocatur Nazareth.»

Hinc constans illis habitatio in eadem civitate minoris notae, constans domicilium et supellex pauper, constans earundem personarum inferioris condicionis necessitas, constans occupatio humilis sive in officiis domesticis sive in arte fabrili. In his nullus tot annis profectus, dum tam mire augebantur sapientia et gratia. Non accrescebant divitiae, non honor aut fama: sed in modicis rebus animi continuo erant contenti.

II. *Iesus*

1. «*videtur exercitasse artem fabrilem, ut indicare videtur S. Marcus.*»

Considera evangelistas omisisse nos expresse edocere de externa occupatione, quam servator in statu oboedientiae profitebatur, eam per transennam tantum Mc 6, 3 videri indicari, quod illa qualis fuerit nihil referat. Quodcumque scil. est *obiectum materiale* oboedientiae, idem manet beneplacitum Patris, quod non obiectum materiale, sed motivum respicit; aeque aptum habetur Sancti Spiritus instrumentum, qui etiam vilibus instrumentis ad mirabilia efficienda uti consuevit, dum modo ea integra devotione eius manui adaptentur; eadem est perfectio, idem meritum, quippe quae nobilitati et puritati motivi proportionentur; aeque excellens est holocaustum, quippe quod consistat immolatione non obiecti materialis, sed nostri ipsorum.

2. «*Artem fabrilem*» professus est.

Professus est non dignitatem, qua aliis praeesset; non scientiam, qua ingenium proderet; non artem liberalem, sed manualem et quidem humiliorem aliquam, quae non ita multum ingenii exigeret, vitae commodis materialibus inserviret, non opulentiam artifici praestaret, sed necessaria tantum; professus est in humilibus et tenuibus circumstantiis, usque ad trigesimum vitae annum. Quam professus est, ut tanto evidentius nos doceat, nihil referre, quod sit nostrae ob-

oedientiae materiale obiectum; immo, ceteris paribus, perfectius Deo obsequium praestari, perfectius holocaustum offerri in paupere et humili condicione, quia paupertatem et humilitatem elegit Deus, quibus mundi salutem operaretur, et quia iisdem conformamur Christo pauperi et humili.

3. Considera Christi in humili illa condicione continuam *animi serenitatem.*

Non illam quasi iniquam fert suaque dignitate indignam, sed scit Patrem sibi in ea complacere; percipit constans Spiritus Sancti testimonium, se esse filium Dei et digna filio Dei agere; novit, id vitae genus quantum valeat respectu divinae gloriae, proprii meriti, nostrae eruditionis et redemptionis procurandae. Purissima fruitur pace in societate Mariae et Iosephi, cum illa pax non e personarum externa condicione pendeat, sed e voluntatum in divinum servitium unanimi devotione et recto ad invicem ordine; hinc suavissime sibi complacet in hac domuncula, hac societate, hac occupatione, idque ab infantia ad annum trigesimum.

De adventu Christi in templum, cum esset annorum duodecim.

(Lc 2, 40—50.)

Primo. *Christus Dominus, natus annos duodecim,* ascendit a Nazareth *in Hierusalem.*

Secundo. *Christus Dominus noster mansit in Hierusalem et nesciverunt parentes eius.*

Tertio. *Elapsis tribus diebus, invenerunt illum* disputantem *in templo et sedentem in medio doctorum,* et interrogantibus illum parentibus suis, ubi fuisset, *respondit: «Nesciebatis, quia in his, quae patris mei sunt, oportet me esse?»*

Quod evangelista explicite de solis parentibus affirmat («ascendentibus illis»), id sanctus Pater explicite Iesu tribuit: «ascendit». Pro «audientem illos et interrogantem eos» scribit «disputantem». Lc: «et dixit *mater* eius ad illum», utique etiam S. Iosephi nomine; hinc sanctus Pater «interrogantibus illum parentibus suis». Pro «Fili, quid fecisti nobis sic?» etc., sanctus Pater scribit «ubi fuisset», locum quaerens, fortasse in mente habens sequentem praepositionem lo-

calem «in his»; insuper ea verborum ratio melius aptatur contemplationis scopo, qui est transitus de statu in statum, seu quadamtenus de loco in locum («remansit, relinquens»). Voces «a Nazareth», a sancto Patre suppletae, aptissime hanc contemplationem cum praecedente mysterio vitae in Nazareth absconditae conectunt. Secundi puncti tota vis in verborum «mansit et nesciverunt» copulatione cernitur: ex qua ignorantia totus parentum et hinc etiam Iesu dolor proficiscitur. Neque enim Iesus de mero separationis, cuius triduanam ante perspexerat durationem, facto dolorem concepisse putandus est, sed de parentum dolore profecto ex ignorata eius facti natura et ratione.

Contemplationis scopus clare enuntiatur his sancti Patris verbis: «Considerato iam exemplo, quod Christus Dominus noster nobis dedit . . . pro secundo statu, qui est perfectionis evangelicae, quando remansit in templo, relinquens patrem suum adoptivum et matrem suam naturalem, ut aeterni patris sui servitio pure vacaret» etc. Ubi adverte, duplici ratione posse dari exemplum pro secundo statu: vel ostendendo, quomodo in illo iam selecto vivendum sit, vel quomodo ille, primo statu abdicato, ingrediendus sit.

Solum hoc altero modo Christus in eo mysterio nobis exemplum dat. Neque dat exemplum secundi status ingrediendi, quasi ipse tum aliquem vitae statum ingressus sit, sed exemplum «*pro* secundo statu», i. e. quod secundo statui ingrediendo applicari possit. Summam mysterii sanctus Pater in praeambulo his vocibus complectitur: «remansit, relinquens».

Non aeque explicite mysterii scopum alias sanctus Pater effert; tertia die: «quomodo postea invenerunt illum in templo»; et in titulo mysterii: «De adventu Christi in templum.» Cur ita? Fortasse ne exercitantem, cui haec altera documenta communicanda supponuntur, ipso lecto contemplationis titulo cogitatio percellat, se ad relinquendum saeculum sollicitari. Quae sancti Patris cautela nos similis in tradendis punctis moderationis commonefacit, ne scil. perfectionis evangelicae statum nimis explicite inculcare videamur. Estque hoc praeprimis loco observanda annot. 15 de non movendo exercitante — directe et explicite — «ad unum statum vel modum vivendi magis quam ad alium»; item quod dicitur annot. 2, maioris esse gustus ac fructus spiritualis, si ipse exercitans discurrendo aliquid inveniat, quam si tradens exercitia multum rem declarasset

ac dilatasset. Neque timendum est status perfectioris amplectendi cogitationem eos, qui ad illum fuerint idonei, hoc loco esse effugituram, cum, praeter Spiritus Sancti instinctum, mysterium ipsum multiplicem ei cogitationi ansam praebeat.

Punctum I.

Christus ascendit ad templum.

I. *Ascendit in Hierusalem.*

Erat ea *civitas Dei*, eius cultui specialius consecrata, in qua specialius manifestaretur gloria Dei omnibus hominibus, ex qua tamquam ex capite pax derivaretur in omnes Terrae Sanctae civitates. Centrum ea describebatur futurum regni messianici Ps 2, 6; Is 2, 2 sq; 11, 9; 60. Eius ministeria docere, sacrificare, sanctificare, orare; eius cives gens sacerdotalis. «Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.»

II. *Ascendit a Nazareth.*

1. Recole loci *circumstantias,* tot scil. annorum in eo loco habitationem, societatem, occupationem, gratias; ubi nullum peccatum, nullus terrenus affectus, omnia spirantia virtutem, sanctitatem, meritum, consolationis plena; quae tamen vita exercebatur adhuc gradu seu statu minus perfecto.

2. Perpende cordis Iesu erga eum locum *affectum* omnino ordinatum. Siquidem servator vitam absconditam tot annis profitebatur, non ex carnali affectione ad locum, officium, socios, sed unice ex studio divini servitii; quare statis temporibus occupatione assueta abstinet, singulis scil. sabbatis festisque diebus, item societate Mariae et Iosephi temporibus exercitiis privatis devotionis assignatis, domo nazarethana saltem semel «per omnes annos» (Lc 2, 41), adeundi templi gratia. Qui affectus Mariae et Iosepho cum illo erat communis.

Punctum II.

Christus in templo remanet.

I. *Mansit et nesciverunt.*

Si scivissent, mansissent etiam ipsi, templum ipsis alterum Nazareth fuisset. Mansit, eorum permittens dolorem, et ita consecrans aliorum parentum dolorem, suos liberos divino servitio permittentium. Mansit, suum quoque dolorem ex ipsorum dolore derivandum permittens, et ita consecrans dolorem liberorum parentes relinquentium, ut divinae obtemperentur vocationi.

II. *Nesciverunt,*

ubi abesset filius tantae amabilitatis et dignitatis, a Deo tam specialiter ipsis commen-

datus, et ob has omnes rationes ipsis tantopere carus; *quare* abesset, ipsorum humilitate culpam aliquam propriam seu neglectum suggerente; *quamdiu* abfuturus et num omnino ipsis reddendus esset.

Hinc «dolentes» quaesierunt

1. *ubique:* «inter cognatos et notos», quibus ubi versaretur ignorantibus «regressi sunt in Hierusalem», quaerentes eum apud alienos, per domos atque plateas et tandem in templo;

2. *constanter:* vespere primae diei et insequenti nocte, secunda die et secunda nocte, initio tandem tertiae diei, quin toties frustrati a continuanda investigatione desisterent. Quorum dolor continuo succrescebat, quo plus temporis ipsis a Iesu seiunctis effluebat, quo pluries eorum investigationes optata responsione carebant, quo magis irrita haec requisitio corporum vires exhauriebat animorumque acuebat angorem.

Adverte parentum filios abdicantium dolorem esse longe minorem, eo quod

certo sciant filios caelesti Hierusalem adscribi et propius sequi servatorem; certo sciant rationem abdicationis, divinum scil. consilium ad opus Dei perficiendum filios vocans; certo sciant, quantum duratura sit

abdicatio, quoad scil. parentes filiis in caelo uniantur; certo sciant dignitatem et meritum eius abdicationis. Quam ob rem neque parentibus neque filiis est dolendum, sed potius gaudendum, neque a parentibus filius semel vocatus, neque a filio parentes sunt requirendi.

III. *Mansit.*

1. *Quare?* Vocatus a Patre consilio, non mandato, ut praeluderet futurae praedicationi suaeque a Maria, Iosepho et civitate nazarethana separationi; ut hinc mater eius et S. Ioseph conservarent omnia verba haec in cordibus suis (Lc 2, 51); intelligerent beatum illum commercii nazarethani statum non esse illud, quod ultimum Deus circa ipsos in terris intenderet, sed tantummodo esse duraturum, usquedum ipse diceret illis; ut inde parato semper animo essent ad Iesum, ubi Pater significaret, e sua domo et societate et a suae artis professione dimittendum; ut eo spiritu ipsam vitam in domo nazarethana porro transigerent. Adverte Christum utrique parenti hanc dispositionem infudisse, licet sciret solam Beatam Virginem illud sacrificium actu fore persoluturam, S. Iosephum prius e vivis cessurum.

2. *Quando?* «Natus annos duodecim.» Eos sensus cor Iesu iam anno duodecimo conceptos fovebat, iam pridem totidem annis

foverat, eosdem in ipsa incarnatione conceperat et annis posterioribus omnibus usque ad mortem retinuit; idque mea causa, ut ego illis cordis Iesu sensibus redimerer, instruerer. Interrogabo igitur me ipsum, hac in re «quid egerim ego pro Christo, quid agam, quid agere debeam». Considerabo in illis sensibus consistere oboedientiae perfectionem, quae in parentum persona soli Deo oboediat, ideoque eatenus tantum oboediat, quatenus eorum voluntas cum divino beneplacito concordet; immolationis propriae perfectionem, quae ad Dei non praecepta solum, sed etiam consilia extendatur; humilitatis et paupertatis perfectionem, quae rebus mundanis non solum affectu, sed, si Deo placuerit, actu ipso renuntiet.

3. *Quomodo?* Mansit parentum praevidens ipseque prior anticipans dolorem; mansit, illos omniscius per omnes perquisitionis ambages comitans, succrescente continuo proprio dolore; mansit prima die et sequenti nocte, secunda die et sequenti nocte, item initio tertiae diei; mansit immo illis tandem templo appropinquantibus et in illud iamiam pedem inferentibus. Quo toto tempore se continuit quin Patrem, a quo utique exauditus esset pro reverentia, rogaret, ut illos e dolorosa incertitudine liberaret; quin in-

terna illustratione illos ad se dirigeret; quin angelos mitteret ad illos dirigendos, qui ad omne ministerium parati ei praesto aderant. Discamus ab ipso non solum esse ascendendum, sed manendum; etiamsi parentes postea dolentes requirant, manendum, quod maneat Dei consilium et vocatio, maneat Deo parentes, si modo ipsi velint, consolandi facultas: melius quippe consolantur parentes fideles perseverantia filii, quam parentes carnales intempestivo eius reditu.

Punctum III.

Christus reperitur in templo.

I. «*Invenerunt illum disputantem in templo et sedentem in medio doctorum.*» Attende, quantopere a domo nazarethana discrepent universa:

1. *locus:* Hierusalem, civitas frequentissima; templum, aedes patentissima; uterque locus maxime distans ab ea solitudine, humilitate, simplicitate, quam Iesus in domo nazarethana tantopere adamaverat.

2. *Societas:* doctores, minus utique, atque Maria et Ioseph, ei coniuncti; non tantis Dei gratiis ad eo familiariter utendum praeparati; certe non omnes insignis sanctitatis viri, omnes vero praediti scientia partim genuina partim fictitia, et ea fortasse quadamtenus

inflati. Ad quos Iesus non solum prope accedit, sed «in medio» eorum versatur, illis circumdatur, ibique veluti fixam sedem habens «considet».

3. *Occupatio:* «disputare» cum iis, qui non, sicut Maria et Ioseph, unanimiter in omnibus cum ipso sentirent, neque tam volenter ac illi ad eius sententiam se perduci paterentur; «audire et interrogare» eos, qui ipso longe inferiores scientia essent, neque desiderio premerentur ex eius scientia proficiendi. Disputatione non tam illud immediate efficiebatur, ut voluntates dociles inflammarentur, sicut Mariae et Iosephi, sed ut excitaretur sterilis adstantium «stupor» (Lc 2, 47). Quae omnia ardua quidem erant, sed e Patris vocatione sublimia et meritoria.

II. «*Interrogantibus illum parentibus, ubi fuisset, respondit: Nesciebatis etc.?*»

1. Parentibus de se ius est exigendi, ut filius aetate minor eodem ac ipsi loco permaneat, sua eos societate recreet et labore sublevet; et quidem hoc ius habent tam «mater naturalis» ratione generationis, quam «pater adoptivus» (praeamb.) ratione adoptionis; habebant tanto magis Maria et Ioseph, qui amore reliquorum parentum amorem longe excedente Iesum fovissent, quique de se a Iesu exigere utique poterant, ut prae-

visi tanti doloris causam non poneret. Hinc legitima de se erant parentum dolor, querelae, interrogatio «ubi fuisset».

2. Dabatur tamen ad eam interrogationem, ad eas querelas responsum, illudque ex intimo corde dandum est, sicut dabatur a servatore. «Oportet» scil. consilio obtemperare divino, cuius tanta e dignitate Patris auctoritas, tanta utilitas, tantum si negligatur periculum; idque «oportet», ubi primum vocat Pater, et deinceps pariter. Pater quippe caelestis magis est pater quam parentes, altius habet ius parentum iure, ideoque avocare etiam potest filium, ut in sancta sua domo habitet et in suo honore procurando immediate occupetur.

3. Illud Patris ius *sciebat* Iesus et constanter cordi inscriptum habebat, eius reverentia iuris permotus insciis parentibus in templo remanserat. Idem *scire debebant* parentes et ilico a quaerendo abstinere, ubi Deum hoc suo iure uti velle intelligerent. Da mihi, Domine, scire beneplacitum tuum et eo comperto agere id, quod oportet.

4. Considera Iesum cum parentibus «descendentem in Nazareth», et sic eam adumbrantem laetitiam, qua parentes christiani in caelis recepturi sunt liberos, quos Deo vocante in terris dimiserant.

De duobus vexillis.

Pars I.

Vexillum Luciferi.

Punctum I.

Luciferi persona.

I. Persona ipsa.

«*Lucifer*», angelus, qui hoc nomen a Deo sortitus ideoque ad serviendum Deo creatus est. «*Inimicus nostrae humanae naturae*»; peccato superbiae Dei inimicus effectus, ob eandem causam creaturarum Dei inimicus effectus est, ideoque praeprimis odit homines ad occupandas in caelo angelorum reproborum sedes creatos. Odit me, non propter adventicia quaedam, quae aut mutari queant aut deponi, sed ob ipsam meam naturam. «*Caput omnium inimicorum*», non titulo creationis, quo omnes Deo subordinantur, neque peccato suo, quod nullum iuris titulum ei conferre potuit, sed sola violentia, astutia ex parte Luciferi, ex parte reliquorum propriae naturae degeneratione peccati servitutem inducentis.

II. Personae adiuncta.

«*In magno illo campo*»: campi ambitus universo generi humano continendo par est;

vide, quot iam ibidem, fraudibus Luciferi decepti, collecti reperiantur. «*Babyloniae*», i. e. «confusionis», oppositae paci Christi, ubi discordant creatura a creatore, creatura a creatura, caro a spiritu. «*Ac si sederet*»: sedet in signum eminentiae nullo legitimo titulo stabilitae, sedet suis asseclis operose discurrentibus neque tamen, qua agitatur inquietudine et rabie, sessionis quiete ipse fruitur. «*In magna quadam cathedra*»: illo utique solio, quod Is 14, 13 exaltandum quondam fuerat super astra Dei, nunc in campo Babyloniae constituto, cuius altitudo non verae, sed imaginariae Luciferi excellentiae commensuratur, quodque vel ipsum eum designat esse angelum *lapsum*. «*Ignis et fumi*», carentis firmitate, ignis quippe et fumus non praebent fulcrum corpori; carentis realitate, in igne siquidem inanis splendor, in fumo inanis inflatio cernitur. Confer cum isto igne et fumo eam gloriam, qua resplendens Lucifer quondam «mane oriebatur». «*In figura horrenda atque terribili*»: figurae foeditas exprimit internam foeditatem, peccato et maxime superbia inductam, qua Lucifer obiectum fit horroris ipsi Deo infinite bono, pulchro et sancto. «Terribilis» apparet, qui terribilis mihi secundum naturam considerato est, inimicus supremum malum intentans, ipsius scil. naturae ruinam,

implacabilis, ergo unice timendus atque abhorrendus.

Ex hoc puncto illud discam, habere me cum universim, tum maxime in gravissimo electionis status vitae negotio unum aliquem inimicum implacabilem, perastutum, invisibilem: ergo nequaquam incaute procedendum, sed cavendum.

Punctum II.

Luciferi asseclae.

I. Daemones convocat.

«*Daemonum*», quorum singulorum consideres malitiam, astutiam, potentiam, odium in Deum eiusque creaturas, speciatim te ipsum; «*innumerabilium*», quorum tuorum inimicorum consideres numerum, nunquam minuendum, quod unusquisque in malo sit obduratus; «*convocationem facit*», ubi consideres tot illos inimicos

1. sub *unico capite* ad unitatem actionis colligi, unde Christus illos Mt 12, 26 «regnum» appellat;

2. eidem capiti *oboedientiam* praestare, unde Christus eorum regnum affirmet non esse «divisum in se». Perpende, qui oboediant — angeli; cui oboediant — suo aequali, legitima quaque auctoritate carenti;

quo motivo oboediant — odio legitimae Dei auctoritatis et studio nocendi; qua mercede oboediant — ignominiae et tormenti aeterni; quomodo oboediant — sine murmuratione, cunctatione, remissione, ad instar exercitus ordinatissimi; quo in negotio oboediant — cum tanti sint numero et viribus, non aliud habent negotium, nisi ut animas ad renuntiandum Dei servitium et inde ad aeternam perditionem pertrahant.

Ex his discam innumeros me habere inimicos, aeque timendos atque ipsum Luciferum, unitos inter se, et ex condicto mihi insidiantes, cum alias tum maxime in electionis negotio.

II. Daemones per mundum spargit.

«*Et illos spargit, hos in talem civitatem et illos in aliam, atque ita per universum mundum.*» Cuius impugnationis perpendas

1. *universalitatem,* et quidem *quoad locum:* circumspice vastissimum universi mundi ambitum, considera in eo ambitu «nullam omitti provinciam, locum», neque propinquum neque dissitum, neque frequentem neque solitarium; — *quoad personas:* quarum consideres infinitam paene varietatem quoad externas qualitates, indolem, passiones etc.: et advertas in tanta varietate

«nullum omitti statum nec personas ullas in particulari»; — *quoad tempus:* haec enim tam universalis impugnatio inde a mundi initio obtinuit, usque ad finem mundi continuabitur;

2. *unitatem,* tot daemonibus sub uno capite, tanta unione semper et ubique ad communem finem conspirantibus.

Ex quibus discam nullum mihi locum, nullum temporis momentum esse securum.

Punctum III.

Luciferi contio.

I. Consilium proponitur.

«*Considerare contionem, quam ad illos habet, et quomodo eos admonet (instigat).*» Cuius contionis instantia prodit implacabile eius odium, violentia superbiam, qua etiam supra proprios asseclas intolerabiliter extollitur. «*Ut prius tentare eos debeant cupiditate divitiarum, quo facilius perveniant ad vanum honorem mundi, et inde ad magnam superbiam. Ita ut primus gradus sit divitiarum, secundus honoris, tertius superbiae, et ex istis tribus gradibus inducit ad omnia reliqua vitia.*»

II. Consilium exponitur.

1. Superbia inducit ad reliqua vitia omnia,

quod patet exemplo daemonum et protoparentum, a quorum superbia omne malum in mundum derivatum est; patet exinde, quod superbia Deo maxime repugnet, ideoque eius gratiam maxime removeat et ita omni corruptioni aditum pandat; exinde, quod superbia propriam aestimationem inficiat et sic omni deceptioni viam aperiat; exinde, quod superbia praesumptionem generet et inde neglectum mediorum ad repellendas tentationes inducat; exinde, quod superbia primi lapsus magnitudinem dissimulet et inde conversionem difficiliorem reddat.

2. Vanus mundi honor inducit superbiam.

Vanus est, quatenus eas ut plurimum hominis dotes consequitur, a quibus vera hominis excellentia minime pendet, easdem exaggerat, iis quoque tribuitur, quae honesta nequaquam sunt, imperfectiones internas ignorat, externas studiose extenuat et negligit. Inducit vero *superbiam*, quia mundi honor generat affectum ad mundi honorem, non attenta honoris vanitate, sed sola eius dulcedine; et rursum mundani honoris affectus inducit nos ad iudicandum de nobis, sicuti mundus de nobis iudicat, ergo ad exaggerandum proprium bonum, ad extenuandos pro-

prios defectus, et consequenter ad ignorandum bonum Dei in nobis: id quod est superbia.

3. Divitiae inducunt vanum mundi honorem.

Divitiae offerunt opportunitatem adipiscendi honoris, eius obtinendi excitant desiderium; rursum desiderium emolumenti ex divitiis alienis percipiendi provocat homines ad honorem diviti tribuendum.

4. Considera, quomodo reapse Lucifer dicta ratione plurimos homines perdat, incipiens a primo gradu, qui est divitia rum, «prout ipse solet facere ut in pluribus», et inde procedens ad secundum et tertium, qui est honoris et superbiae.

Perpende, quanti temporis experientia, ab initio scil. mundi, ea methodus commendetur. Eccli 9, 12: «Sicut pisces capiuntur hamo et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo».

Ex quibus discam non solum plurimos mihi hostes vaferrimos, sub unico capite collectos, omni loco et tempore insidiari, sed eosdem insuper methodo procedere maxime efficaci et omnium saeculorum experientia comprobata.

III. Fraudes explanantur.

1. Ergo *divitiae* et *honores*, licet de se res sint indifferentes, tamen Luciferi attactu continuo foedantur. Quare si in mea electione facienda ad tale devenerim punctum, ut, ceteris utrimque paribus, dubius haeream hinc inter illud, quod meae cupiditati, commoditati, vanitati sapit, illinc inter illud, quod paupertatem vel humiliationem annexam habet, tum aversabor potius id, quod avaritiam sapit et vanitatem, eo quod in his persaepe Luciferi fraudes lateant.

2. Ergo Lucifer *gradatim* procedit, ab indifferentibus et innocentibus ad peccaminosa. Ergo non ideo tantum aliquid eligam aut permittam, quod illud sit indifferens; non ideo ineptum quodquam spernam, quod sit minutum quid: primas Luciferi suggestiones repudiabo.

3. Facile quidem est Lucifero gressum concedere, perdifficile vero concessum retractare, quod Lucifer ilico *retibus* veluti et *catenis* concedentem implicet. Procedit quippe non impetu, sed gradatim, singulos gressus innumeris tentationibus absolvens et firmans; procedit non violentia, sed seductione; summa illi praesto est cordis humani peritia, usus sollers temporum et circumstantiarum, quo quemque efficacius tentare possit; qui-

bus omnibus incautos *irretit*. Onerat etiam *catenis*, natura enim sibi relicta non potest amissam gratiam recuperare neque contractis habitibus se extricare, et Lucifer in anima sic irretita nova continuo gratiae obicit impedimenta. Hinc constanti pravorum habituum incremento et infectione omnium animae potentiarum *libertatem* enervat; restringit imprimis libertatem boni faciendi, in qua proprie apex divinae similitudinis et humanae excellentiae seu «vita vera» consistit, quae adiunctam habet veram pacem et beatam aeternitatem promeretur. — Ergo non est differenda generosa electio, quoad Lucifer animam irretiverit et gravaverit.

Pars II.

Vexillum Christi.

Punctum I.

Christi persona.

I. Persona ipsa.

«*Christus Dominus noster*», Deus et homo per supremam incarnationis exinanitionem, veluti humilitas substantiata; «*summus et verus dux*» ex titulis universalissimis et verissimis, quia «universi mundi dominus», rex, praeordinatus a Deo per prophetas;

summus dignitate, auctoritate, indutus virtute Altissimi ideoque invictus.

II. Personae adiuncta.

«*In magno campo*» : campi ambitus universo generi humano continendo par est; vide, quam pauci proportione circa Christum ibidem collecti sint. «*Illius regionis Hierusalem*», i. e. «pacis», quae civitas est ecclesia. «*Quomodo se sistit*» tamquam inter pares, cum sit maior omnibus, initurus ipse pugnam et futurus socius omnium laborum; in ipso belli aditu plenissima in suo corde fruitur pace et quiete. «*In loco humili*», qualem obtinuit inde ab incarnatione, per omnia suae infantiae mysteria; qualis congruit humillimo eius cordi; ipse aliquando exaltandus supra omnes angelos. «*Speciosus et amabilis*», externa specie reflectens pulchritudinem divinae suae personae, quae est «candor lucis aeternae, et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius» (Sap 7, 26). «Amabilis» est, cum sit Iesus, i. e. servator, unam in terris quaerens nostram salutem, paratus pro ea dare vel ipsam vitam et sanguinem, amabilissimus moribus.

Ex hoc puncto illud discam, habere me unum aliquem amicum potentissimum et amantissimum, apud quem a Luciferi

fraudibus efficaciter protegar, imprimis dum electionem status vitae perago.

Punctum II.

Christi asseclae.

I. Ministros eligit.

«*Personas*», i. e. homines, angelis inferiores sapientia, industria, experientia, viribus; Adae peccato in naturalibus vitiatos, supernaturalibus destitutos. «*Tam multas*», non tamen «innumerabiles» ideoque comparatione tot daemonum paucas, quae singulae semper possint abusu libertatis a tam nobili vocatione deficere. «*Apostolos, discipulos etc.*», ergo infirma mundi, homines rudis et abiectae condicionis, exiguae scientiae et experientiae, exiguae virtutis. «*Eligit.*» Quae electio procedit non ex naturali quadam ipsorum inclinatione aut voluntatum conspiratione — «non vos me elegistis» —, verum ex sola Dei gratia: «sed ego elegi vos». Quae gratia eandem ab aeterno praeordinaverat, eandem in tempore fuerat exsecuta, infallibiliter simul et suaviter, interna scil. illustratione et motione ad externam vocationem accedente. Quos Christus neque sacculo instruit neque pera, i. e. humanis adiumentis destitutos relinquit, sed tanto maiore copia

adiumentorum supernaturalium armat, adhibita trium annorum eruditione per sua sanctissima verba, exempla, miracula, quae videre et audire sancti Veteris Testamenti frustra expetierant, quorum narrationi, non immediatae perceptioni, tota cunctorum Novi Testamenti sanctorum sanctitas superstruenda erat. Item apostolis tribuit potestates maxime mirandas regenerandi, peccata remittendi, panem et vinum consecrandi etc.; promittit perpetuam suam et Spiritus Sancti assistentiam. Quibus omnibus instructi apostoli portis inferi iam non sunt aequales solum, sed longe validiores.

Ex his magnum sumam animum imprimis pro gravissimo electionis negotio. Licet enim inimici mei spirituales multi sint et validi, tamen ab omnibus eorum insidiis in ecclesia Christi tutus conquiescam.

II. Ministros mittit.

«*Et eos mittit per universum mundum, spargendo sacram suam doctrinam per omnes status et condiciones personarum.*» Perpende eius missionis

1. *nobilitatem:* eadem quippe est, qua ipse Christus missus fuerat a Patre, quaque apostolos facit regios suos legatos atque praecones;

2. *obiectum:* «spargendo» seminis instar, quod, dum modo recipiatur, in abundantiam omnium gratiarum efflorescat; «sacram» — origine, contentis, fine — «doctrinam suam», quae est doctrina filii Dei, ergo doctrina veritatis et vitae;

3. *amplitudinem: quoad locum* «per universum mundum», *quoad tempus* «usque ad consummationem saeculi», *quoad personas* «per omnes status et condiciones personarum».

Ex quibus discam nullum locum, nullum tempus gratiae Christi esse inaccessum.

Punctum III.

Christi contio.

I. Consilium proponitur.

«*Considerare contionem, quam Christus Dominus noster habet*», tam suavem — «*ad omnes servos suos et amicos*» —, unde elucet humilis cordis eius affabilitas; tam instantem, «*commendando illis*», unde elucet cordis eius circa nos sollicitudo. «*Ut omnes velint adiuvare adducendo illos primum ad summam paupertatem . . ., secundo ad desiderium opprobriorum et contemptuum, quia ex his duabus rebus sequitur humilitas; et ex his tribus gradibus inducant homines ad omnes reliquas virtutes.*»

II. Consilium exponitur.

1. Humilitas inducit ad omnes reliquas virtutes.

Quod patet exemplo Christi, cuius virtutes omnes ex humili divinitatis cum humanitate unione et ex cordis eius humilitate effloruere; exemplo beatae Virginis, cuius virtutum ornatus omnis fundamento profundissimae humilitatis superstruebatur. Patet etiam inde, quod humilitas sit fundamentum recti ordinis hominis ad Deum, qui deinde rectus ordo reliquarum virtutum exercitium exigit, quodque humilitas gratiam attrahat, quae reliquas gignit virtutes.

2. Opprobria et contemptus, volenter et desideranter suscepta, inducunt humilitatem.

Excludunt vanum honorem, qui vel maxime ansam praebet superbiae; exclusa autem superbia subintrat humilitas. Facilius nos ea in nobis percipere sinunt, quae reapse humiliare nos debent. Reddunt nos actu et affectu similes Christo, et sic viam sternunt similitudini habituali per humilitatis habitum.

3. Paupertas voluntaria, actualis vel saltem spiritualis, viam aperit opprobriis volenter subeundis.

Subtrahit ambitioni honoris conaturale fundamentum: quid enim pauper honores ambiat? Reddit magis expeditos ad opprobria suscipienda, cum inter paupertatem et contemptum naturalis quaedam obtineat affinitas. Reddit conformes Christo pauperi, et ita ad ulteriorem conformationem animam disponit et gratiam procurat.

4. Considera, quot sancti inde a Christi tempore per illos tres gradus sint adiuti ad perfectionem acquirendam.

Ex quibus magnam eius consilii aestimationem, amorem et fiduciam concipere studebo.

III. Christi intentio explanatur.

1. Ergo *paupertas* et *opprobria*, licet de se res sint indifferentes, tamen Christi attactu continuo quodam modo consecrantur. Unde si in mea electione facienda ad tale devenerim punctum, ut, ceteris utrimque paribus, dubius haeream hinc inter illud, quod meae cupiditati vel vanitati sapit, illinc inter illud, quod paupertatem vel humiliationem annexam habet, tum amplectar potius partes paupertatis et humiliationis, quod haec Christo sint magis affinia.

2. Christus quoque *gradatim* procedit, non unico saltu perfectionis iter absolvi exspectat,

tenuibus initiis delectatur: non igitur deiciar animo, ubi processus fuerit lentus.

3. Apud Christum sola initia difficilia sunt, progressus usque facilior redditur aspirante gratia. Nihil ibi deceptionis, nihil torporis, sed perfectio humanae *libertatis:* expeditur intellectus a falsa sui et rerum aestimatione, expeditur voluntas a vinculis affectionum mundanarum, suppeditatur voluntati nobilissimum motivum amoris Dei hominis et desiderii conformationis cum ipso, praebetur in humilitate verae libertatis fundamentum, in consequentibus eam virtutibus huius libertatis fecundissima evolutio. In qua animi vera libertate consistit tandem sola vera *pax* ex iusta sub Deum subordinatione, solum verum *robur* e constanti cum Deo unione et abdicatione omnis indecorae dependentiae, sola *vera vita,* quae libertatis recto usu praeprimis constat. Ergo is sit oportet electionis meae scopus, ut ad Christum quam proxime potuero accedam.

De tribus binariis hominum.

Cum binariorum meditatio vexillis intime nectatur, vexilla autem, uti etiam regnum Christi, intime nectantur iis mysteriis, quae Christum *vocantem* exhibent, imprimis my-

sterio vocationis apostolorum, ad idem mysterium convertamur, quo perspiciamus, cur sanctus Pater *binariorum* nomen et formam suae meditationi tribuerit. Ubi primum illud est advertendum, in ipsa iam apostolorum vocatione distingui *binarios* quosdam. Cuius contemplationis alteri quidem puncto versio vulgata «filios Zebedaei» adscribit, quorum vocatio Mt 4, 21 sq refertur. At cum probabilissime S. Ioannes ille fuerit discipulus anonymus, de quo Io 1, 40, duxeritque fratrem suum Iacobum, sicut Andreas Simonem, ad Iesum filiorum Zebedaei vocatio non instantanea fuisse dicenda est, sed successiva, atque affinior SS. Petri et Andreae quam Philippi et Matthaei vocationi. Ergo e secundo vocationis apostolorum puncto expungenda est. Non obstante autem ea quam modo demonstrabamus affinitate in primum punctum transferri nequit, quod evidenter est de solis SS. Petro et Andrea. Neque in tertium punctum, in quo de solis iis apostolis agitur, «de quorum particulari vocatione evangelium non facit mentionem»; de filiorum autem Zebedaei vocatione praeter Io 1, 40 mentio habetur etiam Mt 4, 21 sq. Quare concedere cogimur SS. Ioannis et Iacobi vocationem in punctis mysterii vocationis apostolorum silentio praeteriri. Quo posito habetur in primo ibidem puncto *binarius*

unus SS. Petri et Andreae, in puncto secundo *binarius* alter SS. Philippi et Matthaei; tertium utique punctum sex complectitur apostolos.

Dices, sanctum Patrem voluisse omnium apostolorum proponere vocationem, potuisse ignorare illam interpretationem Io 1, 40, oblitum esse inscribere filios Zebedaei alteri puncto, hos «recte» (P. Roothaan) eidem puncto a vulgata versione esse restitutos. Habebis etiam sic binarios, inquam, in duobus prioribus punctis tres: filii Zebedaei in evangeliis arcte iunguntur inter se, non item Philippus et Matthaeus.

Iam si evangelium attente pervolvas, alias vocationes reperies, *easque binariis commodissime complectendas*. Primus *binarius* habet illum scribam (Mt 8, 19 sq. Lc 9, 57 sq), qui sequelam obtulit, sed auditis verbis: «Vulpes foveam habent etc.», Christi paupertate deterritus propositum, uti videtur, non est exsecutus; et adolescentem illum (Mt 19, 16 sqq. Mc 10, 17 sqq. Lc 18, 18 sqq), qui perfectionem appetebat, sed audito perfectionis evangelicae consilio «abiit tristis, erat enim habens multas possessiones». Secundus *binarius* complectitur duos illos homines (Lc 9, 59 sqq; cf. Mt 8, 21 sq), qui sequendo Christo se accinxerunt, addita tamen condicione: «Domine, permitte mihi primum

ire et sepelire patrem meum»; «sed permitte mihi primum renuntiare his, quae domi sunt». Quorum dispositionem reprehendit Dominus: «Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei.» Tertius *binarius* habet filios Zebedaei, qui audita vocatione «statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum» (Mt 4, 22), nisi mavis eos cum vulgata versione secundo puncto restituere. E quibus omnibus illud efficitur, vocationes eorum virorum, «de quorum particulari vocatione evangelium facit mentionem», in evangelio aut explicite in binarios distribui (SS. Petri et Andreae, filiorum Zebedaei), aut facillime ad binarios revocari. Et nota SS. Philippi et Matthaei vocationes, inter se affines, sed a diversis evangelistis narratas, reapse in unum binarium coegisse S. Ignatium. Quibus si addas postmodum apostolos etiam ad praedicandum mitti «binos», pronum erit admittere ipsa evangelii meditatione adductum esse S. Ignatium, ut tres illos suos binarios in medium produceret.

Doctrinam porro e diversis illis evangelii pericopis eruendam S. Ignatius in unum colligit eaque proponit forma, quae exercitantis electionem iam agressi necessitatibus proxime adaptetur. In evangelio agitur de Christi sequela in vita apostolica, per professionem

imprimis actualis paupertatis; in binariis de Christi sequela in quolibet statu, paupertatis sive actualis sive spiritualis. Illi homines consistunt coram Christo in terris peregrinante paucisque stipato discipulis; meditans «stat coram Deo Domino nostro et omnibus sanctis eius», ex diversissimis vitae statibus collectis, et coram «divina maiestate» tamque augusta eius curia id, quod optimum sit, disquirit. Disertius quam in evangelico textu enuntiatur, affectionem inordinatam esse «pondus et impedimentum» animam retardans, et unicum medium talis affectionis exstirpandae quandoque esse ipsius obiecti talis affectionis abdicationem. Impedimentum tandem perfectionis in meditatione ad magis concretam formam revocatur: non sunt divitiae in genere, neque «multae possessiones», neque retia et pater, sed una res accurate circumscripta, scil. «decem milia ducatorum». Applicatio utique comparationis non debebit semper in sola affectione avaritiae eradicanda fieri, sed erit necessitati meditantis adaptanda, qui quandoque forte maiorem difficultatem experietur in patre quam in pecunia relinquenda.

Cur vero sanctus Pater exemplum selegit affectionis avaritiae? Id fecit ex accommodatione cum ad evangelium tum ad praecedentem vexillorum meditationem, in qua

inter «retia et catenas» Luciferi primo loco recensetur «cupiditas divitiarum». «Pondus» siquidem «et impedimentum» idem est atque illa «retia et catenae», et hinc utriusque exercitii nexus fit evidentior. Vexillorum meditatio fraudes exhibet daemonis ad animas inordinatis affectionibus circumveniendas; binariorum meditatio eos, qui sint quadamtenus circumventi, methodum docet eis se fraudibus expediendi. Quae methodus hac tessera exprimi potest: Contra Luciferi astus non valet inertia, non valet ficta et fucata defensio, sed sola obtinet generositas.

Meditatio de binariis instituitur post quater factam eodem die meditationem de vexillis, est ergo ex mente sancti Patris exercitium facilius et veluti *applicatio sensuum* ad materiam de vexillis. Utique non applicantur omnes quinque sensus; videtur tamen ea esse sancti Patris mens, ut meditans illos tres binarios videat, audiat.

Punctum I.

Binarius primus.

«*Primus binarius vellet tollere affectum, quem habet erga rem acquisitam, ut inveniret in pace Deum Dominum nostrum, et salvarè se sciret, et non ponit media usque ad horam mortis.*»

I. Perpende eius binarii condicionem.

1. Adverte aeternam Dei erga eos homines caritatem, manifestatam creatione ac redemptione et excitato nunc in eorum cordibus perfectionis assequendae desiderio; vide intuitum amoris, quo Christus nunc eorum electionem exspectat: «Iesus autem intuitus eum dilexit eum» (Mc 10, 21).

2. Perpende in eorum animis affectum rei acquisitae, eumque fertilem defectuum, velleitatem salutis et perfectionis, sed eam sterilem, utpote quae nequeat assurgere ad abdicationem aliudve medium amplectendum.

3. Hinc emendatio constanter procrastinatur praetextu maturioris considerationis adhibendae, clarioris luminis exspectandi, aliorum negotiorum prius expediendorum, quae condicio, nisi in deteriorem mutetur, nullo proprio nisu, sed sola naturali intercedente morte terminabitur oportet.

II. Perpende huius condicionis

abiectionem, omni generositate carentis; *stultitiam*, ludentis gratia Dei, propria salute et pace, tempore pretioso, haecque omnia vilissimo decem milium ducatorum pretio pessumdantis; *sterilitatem*, omni merito carentis, dum poterat comparari «thesaurus in caelo»; *infelicitatem*, etenim «abiit

maerens», numquam inventurus Deum Dominum nostrum in pace; *periculum,* salute nullatenus in tuto collocata; quod periculum oritur cum e corruptione humanae naturae, quae nequit in eodem puncto consistere sed, ubi ascendere cessavit, labitur deorsum, tum e constantibus vigilis inimici daemonis insidiis.

III. Perpende, quid de hac condicione iudicet

1. *Lucifer,* continuo suos urgens ministros, ut inordinatam illam affectionem foveant, multiplicent laqueos et catenas, crassiorem usque reddant conscientiam et ad plures gravioresque defectus sollicitent;

2. *angeli* hominibus amici et fraudum Luciferi gnari;

3. omnes *sancti* circa Christum collecti, pauperes ipsi spiritu, et degeneros hos fratres miserantes;

4. *Christus* exclamans Mc 10, 24: «Quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!»

5. *Dei maiestas,* quae hos homines ad suum servitium creavit eorumque segni obsequio ad nauseam provocatur; quae eosdem sic dilexit, ut filium suum unigenitum pro iis daret, eorumque nunc tam infirmam

caritatem contemplatur; quae eosdem vocavit ad perfectionem eosque iam contuetur vocationi non obsequentes;

6. ipse *binarius* in hora mortis, et viri quidem illi *duo*, tam unus quam alter, loca vel regiones diversas incolentes, ignoti invicem; viri item quotquot libuerit, eadem illa inordinata affectione infecti: ubicunque haec eadem reperitur, «scribe virum istum sterilem» (Ier 22, 30).

IV. Esne tu eiusmodi vir, imprimis dum de eligendo vitae statu deliberas?

Punctum II.

Binarius alter.

«*Secundus vult tollere affectum, sed ita vult eum tollere, ut maneat cum re acquisita, ita ut Deus veniat eo, quo vult ipse homo, et non resolvit se ad rem relinquendam, ut ad Deum eat, etiamsi hic status sibi futurus esset optimus.*»

I. Perpende eius binarii condicionem.

1. Audi Christum vocantem «Sequere me».

2. Adverte in eorum hominum animis voluntatem se salvandi et inveniendi Deum in pace, generalem etiam voluntatem adhibendi aliqua media, simul tamen affectum pecuniae

eumque non subordinatum exigentiae gloriae divinae, sed absolutum et insinuantem se in ipsam mediorum disquisitionem. Adverte, quomodo hi homines non recta eant ad Christum, sed ut hic sibi ocurrat exspectent; quomodo non absolute acceptent eius vocationem, sed condicionem appendant: «permitte mihi primum» (Lc 9, 59 61); quomodo mittant manum ad aratrum et simul respiciant retro, ideoque apti non sint regno Dei.

3. Hinc media quaedam eligunt, sed parum efficacia, unico quod efficax esset abdicationis medio repudiato; hinc progressus ad summum habetur temporarius et apparens, pristino mox omnia occupante tepore.

II. Perpende huius condicionis

duplicitatem, non unicum finem divini servitii prae oculis habentis, sed duos fines conciliare studentis, qui conciliari propter adiuncta absolute nequeant; *sterilitatem,* pro illa inordinata affectione a limine repudiantis unicum medium revera efficax; *abiectionem,* mercatoris instar cum Christo agentis; *fallaciam,* decipitur quippe ille binarius respectu intentionis suae, putans serio se quaerere servitium Dei animaeque salutem, cum haec serio minime quaerat, — et respectu effectus obtinendi, existimans salutem animae nunc esse in tuto positam, cum ea in tuto nequaquam posita

sit. Perpende tandem eiusdem condicionis *periculum,* cum ea ortum duxerit ex sui deceptione, fundetur in voluntatis debilitate, indulgeat in vana sui complacentia, adiutorio careat specialioris gratiae Dei generositate promerendae atque, talis cum sit, omnino pateat Luciferi insidiis.

III. Perpende, quid de hac condicione iudicet

1. *Lucifer:* eum binarium considerat tamquam rem suam, scit se illum facile esse pelliciturum de prima sua deceptione in alias, et voluntatem ita esse debilitaturum, ut tandem, sterilitatem omnis sui conatus iterato expertus, ad prioris binarii inertem velleitatem se delabi sinat;

2. omnes *angeli* et *sancti,* ministri illustrationum et gratiarum Dei, quorum benevoli conatus voluntaria huius binarii illusione frustrantur;

3. *Christus* monens: «Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei»;

4. *Dei maiestas,* quae infinite sapiens ipsa non decipitur, infinite sancta non patitur rapinam in holocausto;

5. ipse *binarius* in hora mortis. Ps 75, 6: «Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.»

IV. Esne tu eiusmodi vir?

Punctum III.

Binarius tertius.

«*Tertius vult tollere affectum, sed ita illum vult tollere, ut etiam non teneatur affectione ad rem acquisitam retinendam vel non retinendam; sed vult solum velle illam vel nolle, prout Deus Dominus noster ipse dabit velle, et personae tali melius videbitur ad servitium et laudem divinae suae maiestatis; et interea vult reputare, quod omnia relinquat in affectu.*»

I. Perpende eius binarii condicionem.

1. Adest Christus vocans «Sequere me».

2. Adest voluntas procurandae propriae salutis et pacis, eaque sincera, unum assequi, non vero quae simul esse nequeant componere intendens; seria, parata ad amplectendum media quaevis, nullo excepto, singula eatenus, quatenus ad «melius» Deo serviendum conducant; abdicans iam in affectu, antequam perspexerit, exigatne Deus abdicationem in re; instanti oratione a Deo lumen petens seque sponte offerens ad id ipsum, quod magis naturae repugnet.

3. Cui tam generosae dispositioni respondet continuum incrementum divini luminis et roboris.

II. Perpende huius condicionis

sapientiam, unice intendentis finem unice necessarium divini servitii; *generositatem,* integre se Deo resignantis; *securitatem* tam contra naturae corruptelam quam contra Luciferi deceptiones; *utilitatem* quoad meritum; *felicitatem,* inventa pace in terris atque thesauro in caelis.

III. Perpende, quid de hac condicione iudicet

1. *Lucifer,* omnia iam desperans et nullum suis fraudibus relictum cernens aditum;

2. *angeli* et *sancti,* exsultantes de ubere fructu omnium bonarum inspirationum, quas ipsi ministrarant;

3. *Christus,* de Ss. Corde suo continuo divitias vitae et veritatis in illos transfundens;

4. *Dei maiestas,* in illis filii sui fidelibus asseclis complacens sibi;

5. ipse *binarius,* in hora mortis vere dives, vere beatus.

IV. Esne tu eiusmodi vir?

Quomodo Christus baptizatus fuit.

(Mt 3, 13—17.)

Primo. *Christus Dominus noster,* valedicto benedictae matri suae, *venit a Nazareth ad flumen Iordanem, ubi erat S. Ioannes Baptista.*

Secundo. *S. Ioannes baptizavit Christum Dominum nostrum et* volenti illi excusare se, reputando se indignum, qui ipsum baptizaret, *dicit Christus:* «*Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.*»

Tertio. *Descendit Spiritus Sanctus super eum et vox Patris de caelo,* attestans: «*Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*»

Voces «a Nazareth» leguntur Mc 1, 9 et apte coniungunt hoc mysterium cum duobus prioribus. Voces: «volenti illi excusare se etc.», interpretamentum sunt verborum S. Matthaei: «Ioannes autem prohibebat eum etc.» Dicebamus vitae publicae mysteria imprimis iuvare electionem, quae, dum ea contemplatur exercitans, ut plurimum absolvitur. Eadem cum vexillorum meditatione multiplicem habent affinitatem, quae in bap-

tismo quidem non est ita evidens. Si tamen baptismum cum ecclesia concipias ut renuntiationem Satanae eiusque operibus et pompis factam, erit istud mysterium Christi ducis veluti vexillare iuramentum, pugnae contra Luciferum velut indictio; Patris vero in tertio puncto relata «attestatio» erit Christi ut summi ducis caelitus facta proclamatio.

Punctum I.

Acta ante baptismum.

I. Intuere *mundum universum*

Luciferi *servitute* oppressum, *peccatis* immersum, quae profluunt ex *superba* a Deo aversione et ad se ipsum conversione, et ultimatim ex *inordinato creaturarum affectu.*

II. Intuere *caelum,*

ubi Ss. Trinitas ab aeterno decrevit *liberationem* generis humani *per humilitatem et abnegationem* salvatoris efficiendam, quod aeternum decretum est veluti *consecratio vexilli humilitatis.*

III. Intuere *domum nazarethanam,* ibique

1. Iesum.

Is legem humilitatis scriptam habet in corde suo. — Eandem actu tota anteriori

vita professus est paupertate et despectu, ut reputaretur Iosephi et Mariae filius tantum, cum esset filius Dei; faber ipse, cum esset fabricator mundi; frater Iacobi et Ioseph et Iudae et Simonis, ergo aequalis omnium, cum cunctos excederet dignitate (Mt 13, 55; Mc 6, 3); ordinariae sapientiae et virtutis vir (Mt 6, 2), cum maior esset cunctis in omni genere perfectionis, non divinae tantum, sed etiam humanae. — Speciatim in sui in templum ascensus mysterio professus est altiorem etiam renuntiationis statum aliquando amplectendum. — Nunc tandem quod ibi adumbraverat exsecutioni mandat. Avellit se a paterna domo et tenui hereditate cum suis utvis modicis commoditatibus, a sanctissima matre et a cognatis, ab amore illo et honore, quo in eorum societate fruebatur. Quae omnia de se erant plane indifferentia, neque pro ipso vel minimum adiunctum habebant periculum. Avellit se autem animo magno neque unquam flectendo, quia id «divinae maiestati placuit et ad hoc eum eligere voluit».

2. Mariam contuere,

«benedictam» quidem inter mulieres, eidem tamen generali resignationis legi subiectam, quam toto ante acto tempore volenter in corde suo conservaverat et nunc tandem

generose exsecutioni mandat, «*valedicens*» tali filio, ob quem unum domum et reliqua omnia adamaverat, nunquam redituro, ituro a Nazareth ad Calvariae montem. Audi cor matris, doloris gladio transverberatum, in «Magnificat» tamen voces prorumpens.

IV. Intuere *desertum prope Iordanem.*

Peccato terra conversa est in desertum, humilitate Messiae renovanda. Ibi *signifer* regni Dei, S. Ioannes, proeliatores convocat sub *vexillum.* Mt 3, 2: «Poenitentiam agite»: ergo vexillum poenitentiae, avulsionis a peccatis et ab omni inclinatione peccati, vexillum humilitatis. «Appropinquavit enim regnum Dei», regnum Christi cum omnibus benedictionibus messianicis; «enim» — exsistit igitur necessaria inter humilitatem et Christi regnum conexio, tam ut quis ei regno accenseatur, quam ut eius emolumenta percipiat.

Punctum II.

Acta in baptismo.

I. «*S. Ioannes baptizavit Christum Dominum nostrum.*»

Decreverat Deus, ut pro immediata praeparatione regni messianici ultimus prophetarum S. Ioannes baptismate suo in hominum mentibus excitaret praesens desiderium red-

emptionis, atque animas praepararet recipiendo Messiae. Erat ergo baptismus etiam Ioannis renuntiatio Satanae facta et professio novae vitae sub vexillo crucis agendae. Hinc Christi in Iordane baptismus est

1. *iuramentum vexillare:* per hanc siquidem humiliationem, qua Messias publicum incohavit ministerium, suam vexillo humilitatis fidem obstrinxit;

2. *initiatio equestris* ipsi collata ab ultimo Veteris Testamenti duce, omni suo sermone et habitu humilitatem et abnegationem profitente, qua initiatione agnoscitur ille membrum exercitus electorum sub humilitatis vexillo militantium;

3. *pugnae contra Luciferum declaratio.*

Iesus igitur animo magno et generoso vexillum explicat et ad certamen contra Luciferum prodit: roga, ut tu animo item magno eum sequaris sub eodem vexillo et in idem certamen, imprimis in negotio tuae electionis.

II. «*Volenti illi excusare se*» etc.

1. Baptismus hic Christo insignis erat humiliatio, quod filius Dei, nulla re a ceteris hominibus distinctus et «habitu inventus ut homo», vitam publicam aggrederetur; quod filius Dei S. Ioanni subordinaretur; quod

ipse, innocens cum esset, peccatoribus assimilaretur.

2. Erat idem baptismus Christo tanto maior humiliatio, quod ipse suum meliorem-que haberet baptismum «in Spiritu Sancto et igni» (Mt 3, 11).

3. Quam, si ita dicere fas est, iniquitatem rite perspiciens S. Ioannes studebat se excusare: *ego* minor, aiebat, debeo baptizari a *te* maiore; *ego,* in peccato conceptus magisque indigus sanctificationis, a *te* innocente omnisque sanctificationis fonte; ego cupio baptizari in Spiritu Sancto et igni.

4. Respondet autem Christus: «Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam.» *Iustitia* est omne id, quod a Deo vel iubetur vel suadetur. Voluit Deus ut, sicut prophetae Messiam praemonstraverant, ita prophetarum ultimus Messiam aggregaret iis, qui regnum messianicum brevi adfuturum votis omnibus exoptabant. Impleverat Iesus omnem *aliam* iustitiam, dum circumcidebatur, praesentabatur, legi se subiciebat: decuit, ut *hanc etiam* iustitiam impleret. Adstitit in medio eorum, qui hunc baptismum accipiebant «in poenitentiam», sua etiam peccata confitentes. Acceptat Cor Iesu *omnem iustitiam,* nulla habita ratione proprii commodi et proprii honoris.

Punctum III.

Acta post baptismum.

I. «*Caeli aperti sunt.*»

Caelestis Hierusalem, clausa pridem protoparentum superbia, salvatoris humilitate reseratur. Simul certaminis cum Lucifero ineundi *bravium exhibetur:* sicut enim participes fuerimus humiliationis Christi, ita erimus et gloriae caelestis.

II. «*Descendit Spiritus Sanctus super eum.*»

Humilis servator exhibetur *indutus virtute ex alto* ad debellandum Luciferum. Quae virtus sufficiet ad totum mundum a diluvio peccati baptismo humilitatis redimendum. Perficitur vero haec virtus in infirmitate, ideoque specie columbae, aviculae debilis et humilis, Spiritus Sanctus descendit. Columba simul est *pacis* symbolum, ut quondam in arca, fructus enim humiliationis Christi eiusque cum Lucifero certaminis est pax nostra.

III. «*Et vox Patris de caelo attestans*» etc.

1. Quod caelis apertis et Spiritu descendente indicabatur, explicito Patris *testimonio* confirmatur, quod sit veritas scitu maxime necessaria, firmiter animo tenenda, fundamentum aliquod vitae spiritualis.

2. Iesus proclamatur filius Dei: quod si filius, et heres et rex. Sancitur lex humilitatis, patre suam complacentiam in filio humiliato pronuntiante. Iesus *proclamatur summus dux* belli contra Luciferum suscipiendi: «Ipsum audite.»

Quomodo Christus fuit tentatus.

(Lc 4, 1—13. Mt 4, 1—11.)

Primo. *Postquam esset baptizatus,* secessit *in desertum, ubi ieiunavit quadraginta dies et quadraginta noctes.*

Secundo. *Tentatus fuit ab inimico* tribus vicibus: «*Accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum. Haec omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me.*»

Tertio. *Angeli accesserunt et ministrabant ei.*

Mt: «ductus est», Mc: «Spiritus expulit eum», Lc: «agebatur a Spiritu», sanctus Pater: «secessit», constructio activa pro passiva; modificat sanctus Pater verba motus corporei violentioris, ubi de sanctis personis agitur; cf. appar. 4: «ivit cito» pro «cucurrit». — Ordo tentationum et verba S. Matthaei sunt, non Lucae.

Mysterii cum vexillis affinitas perspicitur, cum utrobique Christus et Lucifer arma conferre cernantur. Adest tamen differentia, cum ibi Christus et Lucifer castra castris, exercitum exercitui opponant, hic ad certamen veluti singulare prodeant. Et sicut vexillorum meditatione Lucifer triplici gressu, a divitiarum cupiditate ad honorum ambitum et inde ad superbiam, procedit, ita in hoc mysterio Christum tentat primum externorum, i. e. cibi, appetentia, deinde honoris seu laudis ex miraculo percipiendae ambitu, tandemque ad consummatam superbiam, quae simul consummata sit sui abiectio, pertrahere conatur. Non tamen eae tentationes ita *graduum* ad invicem rationem habent, uti ea quae vexillorum meditatione proponuntur. Gradus sunt tempore tantum, non re. Secunda utique primam, tertia secundam tentatio subsequitur; verum prima et secunda non serviunt tamquam gradus ad Christum inducendum, ut secundae et tertiae assentiatur. Quin Christus singulis tentationibus perfectissime resistit, ita ut sequens a praecedenti nullam prorsus efficaciam derivet. Aliter res in tertia tentatione habet, ubi Christus reapse, proposita externorum omnium acquisitione supremique honoris fruitione, ad superbiam sollicitatur; ibi utique divitiis iuncti honores ut gradus ad super-

biam exhibentur, non tamen divitiae seorsim sumptae ut gradus ad honores, quod ultimum ceteroquin sanctus Pater, uti antea monuimus, non ex aliquo mysterio, sed ex cotidiana experientia colligit: «prout solet ipse facere ut in pluribus». Tentationem omnem Christus repellit *humilitate*, constanter recurrens ad verba Dei in Sacra Scriptura exhibita, iisque se submittens: hoc enim genuinae esse humilitatis, ex primo et secundo humilitatis gradu efficitur. Exercet quidem Christus humilitatem etiam tertio gradui correspondentem, cum in illis divinis effatis se subiciat illi legi humiliationis et exinanitionis, quam Pater illi praescripsit, quamque opere exsequens nobis effectus est exemplar tertiae et perfectissimae humilitatis.

Punctum I.

Acta ante tentationem.

I. «*Secessit in desertum.*»

1. *Quo* secessit?

Adhuc longius recessit a Nazareth, quam cum baptismum peteret, longius ab omni societate et possessione humana; in *desertum*, locum omni fertilitate, proprietate, habitatione, societate, commoditate, ipso denique cibo carentem. Qui desertum factus est ex paradiso propter peccatum; pridem

fructuum ferax, nunc ieiunii; pridem animalibus mansuetis refertus, nunc feris (Mc 1, 13: «eratque cum bestiis»); locus specialem ad Luciferum relationem habens. Cf. Tob 8, 3; Is 13, 21.

2. *Quis* secessit?

Iesus, novus Adam. Cuius corpus et anima unum sunt «compositum», sed effectu peccati violentae per mortem separationi addictum; corpus ex animae habitaculo in eiusdem «carcerem» degeneravit, non quod anima Christi instar nostrae vinculis oblivionis, erroris, concupiscentiae, peccati subiciatur, sed quatenus eius quoque corpus animam aggravat fatigatione, inedia, tristitia, taedio, et quatenus adversitates externae mediante corpore ad sanctissimam eius animam pertingunt. — *Spiritus Sanctus,* in Christo habitans, qui item habitaverat in Adam priore, Iesum comitatur in desertum. Intendit is destructionem regni Luciferi per humilitatem et abnegationem salvatoris, quem iam «ducit», «agit», immo «expellit» in desertum.

II. «*Ieiunavit quadraginta dies et quadraginta noctes.*»

1. *Ieiunium* hoc fuit susceptum ad agnoscendum voluntario hoc sui sacrificio supremum Dei dominium omnimodamque, quae

humanae naturae propria est, gratiae indigentiam propria etiam maceratione impetrandae; item ad praestandam satisfactionem pro peccatis non propriis, sed mundi.

2. Considera summam in hoc ieiunio *voluntariam actualem paupertatem* seu carentiam eorum, quae ad vitam sunt maxime necessaria.

3. Considera hoc ieiunium fuisse *humiliationem,* utpote Christum exhibens pro humanae naturae condicione coram Patre se demittentem, pro condicione humanae naturae lapsae poenitentiam exercentem, idque pro peccatis non propriis, sed alienis.

4. Considera eam humiliationem profectam esse ex profundissima Christi *humilitate,* qua se agnosceret «servum Dei» et constitueret «agnum Dei», i. e. victimam satisfacientem pro peccatis mundi.

5. Considera excellentissimos quos illa Christi humilitas habuit *effectus:* orationem Christi tamdiu protractam, et in ea virtutum omnium exercitium; gratiam superandae daemonis tentationis, tamquam arrham omnimodae victoriae, de eo quondam in cruce reportandae a salvatore sitiente; pro nobis utilissimam eruditionem, quomodo res externas abdicantes et humiliationes suscipientes ad superandum daemonem nos praeparare debeamus.

Punctum II.

Acta in ipsa tentatione.

I. *Tentati persona.*

Dignitate personae est filius Dei, sanctitas ipsa, dominator omnium daemonum; eius vocatio in terris est, ut exhibeat se servum Dei, restituat eius regnum et prosternat daemonis regnum; eius tota voluntas Dei beneplacitum unice intendit: «In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui!»

II. *Tentatoris persona,*

qui iure merito hoc loco «inimicus», in vexillis «capitalis inimicus nostrae humanae naturae» appellatur; qui intendit peccatum, divinae gloriae laesionem, humanae pacis destructionem, ipsius servatoris sub Luciferi potentiam subactionem.

III. *Tentationis circumstantiae.*

1. *Tempus* — «accedens». Unde inferas non semper actu daemonem tentare, sed id tantum facere quatenus Deus permittit, qui non permittet fideles servos suos supra vires tentari, et quatenus daemon tempus iudicat propitium ad finem nostrae ruinae assequendum. Quia igitur cum divinae permissionis tum diabolicae aggressionis tempus nostrae

perspicaciae impervium est, semper parati simus oportet.

2. *Occasio* — quae fuit ipsa consolatio in baptismo Christo concessa, qua declarabatur «filius Dei»; in hac quippe tota tentatio fundatur; et cf. Reg 8 ad plen. spir. discr.

IV. *Tentationis obiectum.*

Primum cibi inordinata appetentia, contra abstinentiam seu paupertatem; secundum honoris inordinatus appetitus, contra humiliationem; tertium summa superbia, contra humilitatem. In qua tertia tentatione pro «servitio» divino suggeritur rebellio; pro cruce, in qua immolandus erit «agnus» ad mundi salutem, tam nobili et pretiosa, utpote quae de caelo veniat et ad caelum ducat, mundi pompa offertur tam vana et exitialis, quippe quae a daemone proficiscatur et ad daemonem ducat; pro «filiatione» divina extrema proponitur ad Luciferi pedes abiectio.

V. *Tentationis gravitas*

perspicitur e Christi condicione viribus exhausti: «postea esuriit»; e tentationis iteratione: «tribus vicibus»; e progressiva gravitate obiecti; ex increscente potentia daemoni concessa, ut primum eius haberetur externa suggestio tantum, dein in corpus Christi

potentia, tandem externa solorum sensuum delusio. Concedebatur daemoni, quidquid in servatoris persona permitti eidem poterat.

VI. *Tentationis fallacia.*

1. Tentator commiserationem simulat, cum sit odio plenus; simulat potentiam, cum eius improbitas divinâ permissione limitetur; simulat studium divinae filiationis confirmandae, cum illam destruere intendat; induit speciem angeli lucis, cum sit ipse foedissimus.

2. Quae promittit fallacia sunt, scil. saturitas transiens, honor vanus, pompa inanis; dum emolumenta exaggerat, detrimenta reticet, renuntiationem scil. cibi illius spiritualis procedentis de ore Dei, angelorum ministrationis, divinae filiationis.

3. Propositis rebus de se, non tamen ex adiunctis indifferentibus studet ad vetita pellicere.

4. Verbis utitur ambiguitate plenis: «haec omnia» — quam vana et transitoria! — «dabo» ego, ad quem nihil eorum pertinet, «tibi», cuius omnia sunt. At quo iure? Lc 4, 6: «mihi tradita sunt», non utique iuridica traditione, sed permissione facti; «cui volo, do illa», quatenus scil. Deus permittit; «erunt tua omnia», nullo vero titulo, nullius momenti secura fruitione.

VII. *Permittendae tentationis ratio.*

Volebat Christus in omnibus nobis assimilari, excepto peccato; volebat primi Adae cladem in nostrae naturae inimico ulcisci; volebat suo nos exemplo docere modum superandae tentationis, et gratiam ad eundem finem mereri.

VIII. *Superandae tentationis modus.*

Eminet oboedientia primo humilitatis gradui correspondens, qua Christus verbum Dei solam normam constituit suarum actionum: «Scriptum est». Accedit recordatio beneficiorum Dei; alluditur quippe ad Dt 8, 3, quod ad manna refertur, ad Dt 6, 16 (cf. Ex 17, 7), ubi Deus ostendit se opportuno tempore miracula operari, ad Dt 6, 13, quod refertur ad traditam terram promissam cum omnibus suis bonis. Exterius elucet quies et firmitas. Quae universa fructus sunt Sancti Spiritus, Christum in omnibus dirigentis.

Punctum III.

Acta post tentationem.

I. «*Angeli*»,

servi Christi secundum eius divinitatem, amici secundum humanitatem; qui primae hominis creationi laeti interfuerant, qua Dei

gloria angelorum defectione laesa restitueretur; qui postea, Deo iubente, protoparentibus paradisi aditum praecluserant, attamen continuo eorum posteris tamquam mediatores salutis adfuerant; qui promotores operis redemptionis ab ipsa incarnatione et nativitate Domini exstiterant, —

II. «*accesserunt*».

Semper singulis praesentes adsunt, imprimis ipso tentationis tempore, licet adesse non semper sentiantur; suis temporibus accedere sentiuntur, Deo scil. ita disponente, eorum erga nos caritate incitante, nostra invocatione illos arcessente. Fructus eorum accessus est lumen, robur, pax, gaudium.

III. «*Et ministrabant ei*»,

1. confortantes naturam exhaustam, fortasse cibo oblato, sed magis etiam verbo procedente de ore Dei; in manibus eum portantes et omne genus ministerii praestantes; eum adorantes et glorificantes. Quod eorum ministerium inspirabatur a Spiritu Sancto, qui etiam immediate animam Christi interius confortabat. Quae consolatio arrhabo quidam erat et anticipatio caelestis beatitudinis, in qua Christus, rex angelorum, fruiturus esset sempiterna felicitate, gloria et adoratione.

2. Considera, haec consolatio quam sit vera, nihil omnino fallaciae admixtum habens; excellens, tum respectu personarum, a quibus proficiscitur, tum ratione habita suae naturae, quae tota ad supernaturalia et spiritualia ordinetur; solida, a praesenti videlicet ad aeternam pertingens vitam; intime conexa cum Christi humilitate et oboedientia, et ex ea quasi naturaliter progerminans.

De vocatione apostolorum exercitium prius.

Primo. Videntur ter vocati fuisse *S. Petrus et S. Andreas: primum,* ad quandam notitiam, *id constat ex Io 1, 35—42; secundo,* ad sequendum aliquo modo Christum cum proposito revertendi ad possidenda ea, quae reliquerant, *ut dicit Lc 5, 1—11; tertio, ad sequendum* in perpetuum *Christum Dominum nostrum, Mt 4, 18—20 et Mc 1, 16—18.*

Secundo. *Vocavit Philippum, ut habetur Io 1, 43—46, et Matthaeum, ut ipse Matthaeus dicit 9, 9 (cf. Mc 2, 13 sq; Lc 5, 27 sq).*

Tertio. *Vocavit ceteros apostolos,* de quorum particulari vocatione evangelium non facit mentionem.

Duplex sanctus Pater effert momentum: primum, subordinatum magis, *sequelae* ex parte apostolorum, quod solum septima secundae hebdomadae commemoratur die, his verbis: «quomodo S. Andreas et alii secuti sunt Dominum»; alterum *vocationis* ex parte Christi, quod aliis omnibus locis unice enuntiatur: «De vocatione apostolorum ... vocati ... vocavit ... vocavit ... tam suaviter vocati». Et sane quae in punctis afferuntur, vocationem explicant, non sequelam. Item in vexillorum meditatione vocatio prae sequela effertur. Sic in primo praeludio «vocat»; in altero secundae partis puncto «eligit», quod Luciferi «vocationi» in secundo primae partis puncto opponitur. Vocatio in vexillorum meditatione utique potissimum intenditur; illa per se nobis patefacit «intentionem Christi Domini nostri», quod est scopus illius exercitii. Proprius sequelae quam Christo debemus perpendendae locus binariorum meditatio est. Tamen sequelae mentio in nostro mysterio (septima die) nequaquam est otiosa; apostolorum siquidem sequelam illos attente perpendere oportebit, qui ipsam apostolicam vocationem ad se quoque ex

Christi ore profectam esse in hac exercitiorum parte agnoverint; immo ne ab aliis quidem ea consideratio negligenda est, cum ostendat, quam alacri animo ad tertium humilitatis gradum, sive effectu sive saltem affectu, profitendum se debeant accingere.

Ast quomodo iubemur ceterorum apostolorum ruminari vocationem, «de quorum vocatione evangelium non facit mentionem»? Respondeas, non dici mentionem non fieri de eorum vocatione, sed de eorum «particulari» vocatione, seu de particularibus huius vocationis circumstantiis: factum enim in sacro textu explicite affirmatur. De hoc ipso igitur facto, omissis particularibus neque essentialibus circumstantiis, meditandum erit. Ad omnem quippe veram vocationem duo principia concurrere debent. Primum est gratia Christi, sive interna tantum, sive etiam externa, magis minusve sensibilis, semper tamen «suaviter» agens. Secundum sunt vires naturales animae humanae, intellectus et voluntas, quarum operatio nunquam, ne in vocationibus quidem maxime miraculosis, uti S. Pauli, excluditur, in vocationibus vero communibus summi momenti est. Quae duo momenta in contemplatione tertii puncti advertenda erunt.

Punctum I.

Vocatio SS. Petri et Andreae.

A. Vocatio prima, «ad quandam notitiam».

I. Christus vocat

1. *S. Andream,*

praeparans vocationem facto creationis et universa Veteris Testamenti revelatione, omnibus insuper gratiis ipsi ante S. Ioannis praedicationem collatis, quibus etiam accensenda est paupertas et humilitas condicionis, in qua S. Andreas adoleverat (cf. p. 200). — Vocat mediante *Baptista,* viro qui plenam eius et socii confidentiam acquisiverat, qui dudum eos de imminente Messiae adventu et sequelae necessitate monuerat, qui praesentem iamiam Messiam iterum iterumque digito monstraverat, proclamans eius cum aeternitatem et divinitatem («Prior me erat ... Hic est filius Dei»), tum humilitatem, mansuetudinem atque vicariam satisfactionem («Ecce agnus Dei» etc.), et ita una cum desiderio fiduciam quoque sequelae inflammans. — Vocat tandem *ipse* ea morum et sermonis comitate, qua prior ad ipsos «convertitur» (Io 1, 38), vix enim ausi essent ipsi priores se illi iungere; qua eos amantissime et efficacissime contuetur, eos amicissime invitat ad id, quod unum tum distincte intendebant,

scil. «quandam notitiam», dicens «Venite et videte»; qua toto reliquo illo die humanissime cum iis conversatur.

2. *S. Petrum.*

Praeparatur vocatio per omnes priores gratias Baptistaeque institutionem, per relata sibi a fratre Baptistae verba Messiam designantia, per eadem a fratre confirmata his verbis: «Invenimus Messiam», item per relatam ab eodem Messiae affabilitatem. — Vocatur tandem Petrus hac ipsa salvatoris comitate, qua eum peramanter contuetur: «Intuitus autem eum Iesus»; allicitur promissione singularis excellentiae: «Tu vocaberis Cephas» — et eris. Ita Christus eius, qui fraternae narrationi crediderat, fidem remunerat, necessariam tamen sequelae condicionem, paupertatis scil. et humilitatis suae imitationem, nondum enuntiat.

II. Vocati sequuntur.

1. *S. Andreas*

plene cooperatur Baptistae verbis Messiam indicantibus: «audierunt ... et secuti sunt»; plene cooperatur Christo se primum invitanti: «Venite et videte ... venerunt et viderunt»; Iesu eum secum retinente, rursus cooperatur: «manserunt»; gratiam acceptam ilico apostolice fratri enarrat.

2. *S. Petrus*

narratione fratris audita ilico gratiae cooperatur, ulterius indagando et Iesum adeundo; Baptistae de Christi testimonio, sibi a fratre relato et Iesu conversatione iam corroborato, fidem praestat; oblatam excellentiam, quae annexam habet sequelae condicionem, acceptat, quod patet ex facto sequelae et mutati nominis; simul paratus est animo ad quaecumque secus Messias a se exacturus sit, licet adhuc sibi ignota, praestanda.

B. Vocatio secunda, «ad sequendum aliquo modo».

I. Christus vocat.

1. Praeparatur haec altera utriusque apostoli vocatio per ipsam praecedentem vocationem, confirmatam tot continuis Christi miraculis, constanti experientia eius amabilitatis et sanctissimae doctrinae, extraordinaria populi commotione Lc 5, 1: «cum turbae irruerent in eum, ut audirent verbum Dei».

2. Praeparatur proxime miraculo capturae piscium copiosissimae, brevissimo tempore et post integrae noctis ingratum laborem effectae. Quod miraculum comitabantur dispositiones hae: agnitio propriae impotentiae atque hinc humilitas («Per totam noctem laborantes nihil cepimus»); fides, cuius pro-

fitendae et augendae ipsa illa impotentia praebebat occasionem («In verbo autem tuo laxabo rete»); magna Christi reverentia et penitior eiusdem agnitio cum propriae indignitatis conscientia («Exi a me, quia homo peccator sum»).

3. Ipsa tandem vocatio vocibus «noli timere» supponit quidem naturalem apostoli abiectionem, qui merito sibi timendum esse vereatur, et Christi vocantis eminentiam, qui utique secundum hanc solam spectatus timendus sit; simul tamen enuntiat Christum, libero suo consilio, omnem excludere causam timoris atque ad continuandam societatem et sequelam invitare; hunc enim esse verborum «noli timere» sensum patet ex oppositis verbis «exi a me». — Ad quam societatem continuandam inflammat exhibitum vocationis obiectum: «ex hoc iam homines eris capiens». Ergo Petro erit agendum cum hominibus, hominibus erit superior; capiet, captivos diaboli transferet ad libertatem filiorum Dei, mortuos peccato ad vitam gratiae; captura quippe, quam filius Dei promittat, erit abundantissima. — Condicio sequelae remote adumbratur: «noli timere» mecum esse, qui pauper sum et paupertatem praedico.

II. Vocati sequuntur.

Omni «timore» deposito «sequuntur» Christum, relictis ad tempus navibus, cum inten-

tione tamen ad eas se recipiendi, ut patet ex «subductis ad terram navibus», earum scil. conservandarum gratia; sic iam manifestant *spiritualem paupertatem*, qua Christum pluris faciunt rebus omnibus, eas actu abdicaturi, ubi primum ad hoc praestandum eos vocaverit.

C. Vocatio tertia, «ad sequendum in perpetuum».

I. Christus vocat.

Ipse, cuius dudum perspecta ipsis est amabilitas, nunc paucis tantum verbis atque in transitu prolatis eos alloquitur: «praeteriens . . . dixit». Dudum miraculis commendatus nunc novum non addit miraculum, sed tantum ad prius capturae piscium miraculum alludit: «faciam vos fieri piscatores hominum». E contra iam non solum insinuat, sed explicitis verbis postulat sequelam: «venite post me», plenamque prioris occupationis renuntiationem: «et faciam vos fieri piscatores hominum». Clare simul promittit omnes gratias ad eum effectum necessarias: «et faciam».

II. Vocati sequuntur.

«Secuti sunt — relictis retibus», quae fuerant «mittentes in mare» — iisque ne collectis quidem neque in locum securiorem sepositis: «continuo».

D. Totius vocationis suavitas perpenditur.

I. Ex obiecto suavissimo,

quod est Messias, filius Dei, agnus Dei, ergo in se omnem excellentiam complectens et gratiam; huius Messiae cognitio, familiaritas, consortium vitae, vocationis et gloriae.

II. Ex mediis adhibitis,

1. *externis* omnis generis, qualia sunt educatio in gremio populi electi, Baptistae institutio, populi commotio, quoad S. Petrum fratris invitatio; deinde Christi habitus, intuitus, alloquium, tempus, sollicitudo, miracula, actualis tandem vocatio;

2. *internis,* gratia scil. intellectum illuminante, cor inflammante et voluntatem alliciente.

III. Ex modo, qui simul est

1. *suavis* — quoad tempus: vocatio peragitur tribus successivis vicibus, una vocatione sequentem praeparante; — quoad obiectum: primum «ad quandam notitiam», deinde «ad sequendum aliquo modo», tandem «ad sequendum in perpetuum»; — quoad motiva: primum amabilitatis vocantis, dein excellentiae acquirendae, tandem obligationis;

2. *fortis:* semper scopum proxime propositum assequitur Christus vocans.

IV. Ex vocationis origine et fine.

Procedit ea ex corde servatoris excellentissimo, amantissimo, amabilissimo, suavissimo; tendit ad plenitudinem pacis eius impertiendam primum apostolis vocatis, per ipsos aliis innumeris, in gloria tandem caelesti consummandam.

Punctum II.

Vocatio SS. Philippi et Matthaei.

I. *S. Philippus.*

1. Christus vocat.

S. Philippus non videtur adfuisse, quando Baptista Christum digito monstravit, sed solum, uti ceteri Israelitae, Messiae exspectatione tenebatur et insuper, cum prope eundem locum ubi ceteros eum Iesus invenerit, videtur discipulus Baptistae fuisse. Nullum adhibetur miraculum, nulla futurae vocationis adumbratio, sed verbum «sequere me», unicus intuitus coniunctus efficacissimae gratiae internae.

2. Philippus sequitur.

Suavissime quippe et clarissime illustratur, ut agnoscat Christi excellentiam obligationemque eidem vocanti obsequendi, ita ut nec «dubitet nec dubitare possit». Suavissima et certissima impletur fiducia omnis gratiae

necessariae obtinendae. Suavissime simul et fortissime ad sequendum attrahitur, «quin dubitet nec dubitare possit» moraliter. Philippus gratiae tam suavi et efficaci libere obsequitur; immo ultra id, quod gratia ab ipso exigebat, progressus alios etiam ad salvatorem adduxit.

II. *S. Matthaeus.*

1. Christus vocat.

S. Matthaeus praevia instructione videtur caruisse; minime erat ipse dispositus, quia totus erat in occupatione longissime diversa, multis periculis implicatus atque vix expers omnis ad res temporales affectus. Vocatur unico verbo, unico obtutu coniuncto gratiae internae.

2. Matthaeus sequitur.

Suavissime simul et clarissime illustratur, ut agnoscat praeteritae vitae vanitatem, sui status pericula, Christi et propositae vocationis excellentiam, sequendi necessitatem. Suavissima et certissima impletur fiducia omnis gratiae obtinendae, facilia reputans sacrificia omnia. Suavissime simul et fortissime, «quin dubitet nec dubitare possit», impellitur ad renuntiandum mundum et sequendum Christum. Matthaeus gratiae tam suavi simul et efficaci libere obsequitur: «et surgens» ilico, «relictis omnibus — secutus est eum».

Punctum III.

Vocatio ceterorum apostolorum, de quorum particulari vocatione evangelium non facit mentionem.

I. Apostoli,

«utentes libere et tranquille potentiis suis naturalibus» (cf. tertium tempus electionis),

1. *intellectu* agnoverunt Iesum esse verum Messiam — ex dictis prophetarum, testimonio Baptistae, operibus et verbis Iesu; — hinc unicam viam serviendi Deo propriaeque salutis procurandae agnoverunt esse huius Messiae sequelam; reliqua omnia, carnalem cognationem, occupationem, possessiones longe inferioris esse valoris ideoque, si Messias postularet, relinquenda. Hinc

2. *voluntate* inflammati sunt ardentissimo desiderio Iesu intimius noscendi eique quam proxime adhaerendi; indifferentiores in dies evadebant erga reliqua omnia, et sic ad spiritualem paupertatem pervenerunt; humili et assidua oratione a Deo lumen implorabant, «ut vellet movere eorum voluntatem et ponere in animis eorum id, quod facere deberent, quodque magis esset in laudem et gloriam suam»; atque interim quantum rerum adiuncta ferebant se Christo iungebant.

II. Christus.

1. Poterat is omnem eum electionis laborem unica illustratione, uti in S. Matthaeo, absolvere: maluit cooperationem et meritum suorum electorum diuturna hac maturatione augere. Omnes illae salutares cogitationes et motiones revera ab ipso procedebant, interna gratia naturae activitatem excitante et adiuvante.

2. Considera actionis humanae sic adiutae *libertatem:* nulla naturae facultatibus vis inferebatur, lumen gradatim tribuebatur, dubia permittebantur, sed diluebantur, affectus in dies evadebat intensior, purior, firmior. Considera *tranquillitatem:* Christus continuo daemonis perturbationes cohibebat, animam tamquam domum suam intrabat cum suis consolationibus, inspirationibus, minuens affectiones ad res quasque mundanas, «facilia reddendo omnia et removendo omnia impedimenta»; in his omnibus largiebatur abundantiam pacis et tranquillitatis.

3. Christus cooperationem cum singulis gratiis excellentiori gratia cumulat; tandem, quam petere ipsi ausi non fuissent apostoli, addit *apostolicam vocationem* (Mc 3, 13: «Vocavit ad se, quos voluit ipse»), futuram originem innumerabilium et excellentiorum gratiarum.

De vocatione apostolorum exercitium alterum.

Et etiam alia tria consideranda sunt:

Primo, quomodo apostoli erant rudis et abiectae condicionis.

Secundo, dignitas, ad quam fuere tam suaviter vocati.

Tertio, dona et gratiae, quibus fuere elevati supra omnes Patres Novi et Veteris Testamenti.

Insolitum est, ut sanctus Pater post tradita de vocatione apostolorum puncta «etiam alia tria consideranda» proponat. Num alterius cuiusdam contemplationis instituendae puncta iis verbis annuntiantur, an solum novi aperiuntur materiae ex prioribus hauriendae punctis fontes, quales v. g. in contemplationibus coenae et resurrectionis, semper tamen in corpore libri et non in mysteriorum punctis, assignantur? Distincta tradi videtur hoc loco contemplatio; et verba «etiam *alia* tria» utique suggerunt haec tria *numerari* eodem atque praecedentia modo, ergo tamquam distincta puncta. Habes igitur hic alterius cuiusdam meditationis ideam, ad vitae apostolicae sequelam provocantis triplici efficacissimo motivo; tollit quippe primum *diffi-*

dentiam ex consideratione propriae «abiectionis» subortam, excitat secundo *desiderium* tantae «dignitatis» participandae, addit tertio *fiduciam* «donorum et gratiarum» necessariarum obtinendarum. Haec ergo contemplatio directe respicit electionem vitae apostolicae, et omittenda potius videtur in iis, qui exercitiorum decursu ad eam vitam amplectendam vocationem hucusque experti non sunt. Eadem etiam nos monet in mysteriis subsequentibus vel seligendis vel disponendis respicere nos oportere, sentiatne exercitans vocationem ad vitam apostolicam necne.

Punctum I.

Vocatorum condicio.

I. Comparatione aliorum, qui potuissent vocari.

Galilaei ipsi fere omnes, alii Iudaei; ipsi piscatores, publicani etc., alii condicione nobiliores; ipsi pauperes, alii opulenti; alii talentis et experientia atque morum cultura ipsis superiores; alii scientia etiam et virtute praestantiores; alii forte praevidebantur fidelius vocationi cooperaturi atque in pauciores et leviores culpas esse lapsuri.

II. Comparatione Christi.

Ipsi Galilaei fere omnes et obscurae condicionis, ille Iudaeus, filius David, rex et

doctor; ille ipsis longe superior talentis, scientia, virtute, gratia; ille sanctissimus, ipsi infecti peccato originali et peccatis propriis, mentis ignorantia cordisque malitia: post ipsam apostolicam vocationem plures commisere infidelitates; ille homo et Deus, ipsi homines tantum. Una res ipsos commendabat: bona voluntas tum exsistens, et cooperatio cum prioribus gratiis.

Punctum II.

Vocationis excellentia.

I. Socii vitae Iesu.

Vocantur, ut degant cum eo, eum videant atque contingant, id quod concessum fuerat Mariae et Ioseph, et conceditur beatis in caelo. Vocantur, ut sint non servi, sed amici, discipuli, fratres; ut sint testes omnium verborum, actorum, miraculorum eius; ut intimius noscant amabilissimum cor eius et ceteris magis illi conformentur.

II. Socii dignitatis Iesu.

Vocantur, ut participent eam ipsam missionem, quam ipse acceperat a Patre, ideoque eius etiam auctoritatem; ut participent eius regiam et pastoralem quoad fideles auctoritatem; ut participent eius sacerdotalem eminentiam, sessuri cum ipso iudices in die iudicii.

III. Socii potestatis Iesu.

Vocantur, ut pro potestate praedicent omnem eius doctrinam, imposita hominibus eos audiendi obligatione; accipient potestatem solvendi atque ligandi latissimam, etiam quoad peccata; potestatem sacrificii conficiendi, et sacerdotalem eminentiam in alios transfundendi; haecque omnia accipient ad finem reconciliationis, sanctificationis et aeternae glorificationis generis humani.

Punctum III.

Vocationis charismata.

I. Ex parte Christi:

eius conversatio, a sanctis Veteris Testamenti tam ardenter exoptata, a S. Simeone tam exsultanter degustata, reliquis sanctis pro altera vita reservata; instructio non obstante eorum vecordia illis tradita, simul cum uberi gratia ex ea proficiendi, eam animo retinendi et fideliter aliis communicandi.

II. Ex parte Sancti Spiritus:

abundans gratia ad proficiendum in omni virtute, addita postmodum confirmatione in gratia; eiusdem Spiritus eiusque charismatum plenitudo, ad exercendum officium doctoris, pastoris, sacerdotis; et ea quidem absoluta

respectu tam loci quam temporis, complectens quidquid intra finem ecclesiae includitur, doctrinam, sacramenta, regimen, gratias gratis datas, eaque omnia «usque ad consummationem saeculi» in ipsis et successoribus permansura.

De primo miraculo facto in nuptiis Canae Galilaeae.

(Io 2, 1—11.)

Primo. Fuit invitatus *Christus Dominus noster cum suis discipulis ad nuptias.*

Secundo. *Mater* indicat filio defectum vini, *dicens: «Vinum non habent.»* Et mandavit *ministris: «Quodcumque dixerit vobis, facite.»*

Tertio. Convertit aquam in vinum: *«Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.»*

Pro «invitatus» S. Ioannes habet «vocatus est». Pro «dicit mater» explicationem scribit sanctus Pater: «indicat filio defectum vini». Et pro altero «dicit» scribit «mandavit», exhibens beatam Virginem veluti pro auctoritate agentem.

S. Ignatius diserte affirmat mysteria vitae absconditae et ascensus in templum demon-

strare duos status eligendos, mandatorum et consiliorum. Unde nascitur quaestio, sintne forte aliqua alia mysteria a sancto Patre selecta propter similem rationem. Et ipse quidem tradit methodum *reformandi* status vitae immutabiliter electi, ubi duos nominatim effert status sacerdotii saecularis et matrimonii. Loquitur autem ibi sanctus Pater (cf. Regulas de eleemosynis) fere de solo bonorum temporalium in illis statibus recto usu, quod eo in tuto posito eorum statuum integritati provisum esse ipse sentiat. Crediderim porro eum duo mysteria nuptiarum et electorum venditorum elegisse ideo, quod reformationi illorum statuum normam praebeant. In mysterio nuptiarum exhibetur Christus cum apostolis ad participationem quandam matrimonialium bonorum adscitus, suorumque vicissim hospitum necessitatibus prospiciens; quo facto adumbrari putamus hinc in ecclesiam et pauperes liberalitatem, illinc in Deum fiduciam, quibus coniuges christianos excellere oporteat. In mysterio autem venditorum et status ecclesiastici sanctitas adumbratur, zelusque avaritiae expers inculcatur, dum nummularii «divites» eiciuntur, «pauperes» columbarum venditores benigne admonentur. Ergo illa duo mysteria illis duobus statibus reformandis, salvo meliore iudicio, applicamus.

Punctum I.

Christus invitatur.

I. Considera matrimonium esse statum intimae *communionis* vitae omniumque bonorum (Gn 2, 24 «et erunt duo in carne una»), adiunctam habentis correspondentem *laetitiam, epulo* nuptiali figuratam.

II. Considera bona huius status non ad solos restringi coniuges, sed *extendi oportere* ad liberos, familiares aliosque; hancque rursus extensionem epulo nuptiali significari.

III. Considera invitandos ad participationem bonorum status, ad epulum nuptiale, praeprimis esse *Christum* cum suis *apostolis,* Christum in persona *pauperum,* apostolos in persona *ministrorum ecclesiae.*

IV. Considera sic statum nuptialem reapse fieri imitationem status iustitiae originalis, in quo primi coniuges una cum Deo perambulabant paradisum; et abundare ea laetitia et *pace,* quae propria sit status redemptorum.

Punctum II.

Maria intercedit.

I. Bona temporalia familiae necessaria, non tamen ideo excluduntur *eorum bonorum angustiae*. Quas permittit Deus propter incuriam aut alias ob causas. In quibus memores sint paupertatis spiritualis et fiduciae in Deum.

II. «Vinum non habent.» Considera *Mariam* peculiari affectu eiusmodi familias prosequi, cum earum specialis patrona sit a filio instituta; attendit earum temporales necessitates, atque in illis filii opem sua intercessione implorat.

III. «Quodcumque dixerit vobis, facite.» In angustiis rerum temporalium

1. familia ne quid agat contra verbum Christi, studens mediis iniquis suas res restituere;

2. exsequatur omne verbum Christi, agatque vitam religiosam, christianam;

3. servet ea Christi monita, quae pro rebus adversis data sunt: perseveret in patientia etc.;

4. licet ei miracula non sint temere exspectanda, perseveret in vivida fiducia in Iesum et beatam Virginem.

Considera Iesum in eiusmodi familiis ita sibi complacere, ut immo maturet exauditionem: «Nondum venit hora mea.»

Punctum III.

Christus opem fert.

I. Iesus familiae necessitatibus subvenit: facili ratione — sola aqua opus habens; abundanti ratione — sex implens hydrias «usque ad summum»; excellenti ratione — vinum producens generosum. Perpende omnipotentiam, qua quibuslibet angustiis valet mederi, ilico et plene; liberalitatem, qua medetur rogatus a familia, rogatus a matre.

II. Iesus Canam advenerat specie humilis et pauper: omnipotentia *manifestavit* gloriam seu divinitatem eius. Ei, quia Deus est, *credendum* docenti, fidendum promittenti, oboediendum iubenti.

Quomodo Christus Dominus noster eiecit e templo eos, qui vendebant.

(Io 2, 13—16.)

Primo. *Eiecit omnes eos, qui vendebant, e templo, flagello facto ex funibus.*

Secundo. *Evertit mensas et* pecunias *nummulariorum* divitum, *qui erant in templo.*

Tertio. Pauperibus, *qui vendebant columbas,* mansuete *dixit: «Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.»*

Cf. quae diximus initio praecedentis mysterii. Pro «pecunia» S. Ioannes «aes». Distinctionem «divites» inter et «pauperes» iam notavit R. P. Roothaan. In Christo «mansuetudo» commendatur: cf. «suaviter» in vocatione apostolorum, «speciosus et amabilis» de vexillis.

Punctum I.

De status ecclesiastici sanctitate.

I. *Templum,* ubi perpendenda

1. templi *destinatio,*

ut sit «*domus Dei*», quam Deus speciali ratione inhabitat per praesentiam et gratiae

operationem, quamque speciali consecratione sibi voluit dedicari; ut sit «*domus orationis*», nam, quae domus est Dei, sit etiam oportet locus specialis conversationis inter Deum et hominem, i. e. orationis; ut sit «*domus sacrificii*» (2 Par 7, 12), nam qua domus Dei etiam sit oportet locus specialis cultus Deo exhibendi, cuius supremus actus est sacrificium.

2. Templi *sanctitas:*

qua domus est Dei, debet soli reservari Deo, ideoque debet profanum quidque, sive id peccaminosum sit sive mundanum solummodo, a templo excludi; qua domus orationis est, debet eam spirare quietem, quae orationi congruit; qua domus sacrificii est, debet ea devotione pervadi, quae cultui est essentialis.

3. *Status etiam ecclesiasticus quadamtenus templum est.*

a) Eius *destinatio* est, ut sit quaedam «*domus Dei*», qui ei statui peculiariter coniungitur, speciales in eundem gratias profundit, eumque sibi per sacros ordines specialiter consecrat; ut sit «*domus orationis*», ad id siquidem anima in eo statu constituta Deo intimius iungitur, ut cum eo per omnes suas potentias intimius conversetur; ut sit «*domus sacrificii*», cum ille status directe ad ss. sacrificium offerendum ordinetur, red-

emptori in Ss. Sacramento latenti intimius uniatur vitaeque immolationis propriae sit addictus.

b) Eius *sanctitas:* excludatur oportet ab hoc statu profanum et magis etiam peccaminosum quidque, imprimis vero quidquid *avaritiam* sapit, quippe quae mundanis omnibus aditum aperit, perfectionemque omnino retardat; sit status quietis et recollectionis, non distractionis propter rerum mundanarum sollicitudinem; sit status devotionis, quae actiones vel maxime vulgares sanctificet.

II. *Mercatores*

non attendunt animis templi sanctitatem; externe strepitum agunt eidem sanctitati repugnantem; rei sunt peccati avaritiae, hinc plane immemores sunt praesentiae Dei, incapaces orationis et cultus; sic agunt tempore maximi festi, sicque plurium attentionem a sanctitate templi divertunt maiusque generant scandalum. Cum quorum peccato conferas *defectus status ecclesiastici* internos, externos, scandalosos.

III. *Christus*

1. utique interne persuasam habet sanctitatem templi, hinc zelo domus Patris consumitur. Cor eius, tam mite et humile, conspecta praevaricatione effervescit. Indulgentiae lo-

cum non dat, licet praevaricatores ad populum prae ceteris dilectum pertineant, et licet alias multorum et magnorum peccatórum testis fuerit quin remedia adhibuerit violenta. Seligit nunc medium efficacissimum, violentum, dolorosum; adhibet ilico.

2. *Christus haud minori zelo tuetur sanctitatem status ecclesiastici.* Unde non debet sacerdos eam sibi praevaricationum indulgentiam promittere, quam Christus haud raro peccatoribus laicis, maxime in hora mortis, concedit. Neque debet fiduciam ponere in gratiis pridem sibi in eodem statu, tempore fervoris concessis. Quid igitur illi agendum est? Debet matur̥e defectum et scandalum ipse removere, antequam Christus flagellum prehendat.

Punctum II.

De ditioribus a status ecclesiastici hominibus nequaquam praeferendis.

I. *Nummularii.*

Eorum occupatio nonnisi valde remote cum cultu divino conectitur, neque ad eos solos casus, qui ad eum referantur, restringitur; nullo necessitatis motivo impelluntur, sùnt enim «divites», sed sola lucri cupiditate; eam occupationem exercent in loco sancto, «in templo», ibi totum transigunt diem, strepitose agunt, alios disturbant.

II. *Christus*

1. nullam illis exhibet indulgentiam: non permittit illis, ut remaneant; non blandis verbis cohortatur, cum tamen sint «divites», qui religionem sacerdotesque efficaciter iuvare queant et actu iam adiuvarint, quorum ira iisdem haud parum nocere queat.

2. Immo severius agit cum illis quam cum ceteris, non solo flagello in eorum personas animadvertens, sed quae ipsis carissima est pecuniam subvertens, permiscens, quo difficilius ad priorem praevaricationem redire possint.

3. Id facit ob gravius ex maiori instructione et impuriore motivo eorum peccatum; ob mentem a cultu divino magis alienam; ob perniciosius scandalum, quo per avaritiam omni generi vitiorum aditum aperiunt; id facit, ut carpat sacerdotes eorum negotiationem tolerantes.

4. Christus aversatur avaritiam in statu ecclesiastico; aversatur curam maiorem impensam divitibus prae pauperibus. Ubi haec, ibi fastus atque ambitio ac tandem superbia.

Punctum III.

De peculiari affectu in eo statu erga pauperes fovendo.

I. *Columbarum venditores.*

Eorum negotiatio cum cultu propius conectitur, sunt enim victimae columbae; necessi-

tate aliqua urgente suscipitur, sunt enim illi homines «pauperes»; strepitum et scandalum longe minus adiunctum eadem habet; brevius durat, nam paucis animalculis divenditis domum se recipiunt.

II. *Christus* «mansuete» cum illis agit:

1. flagellum ostendit potius quam infligit; res non subvertit, sed ordinate auferri permittit; «mansueta» addit verba: «Auferte ista hinc»; adicit instructionem, quae procedit simul ex ardentissimo zelo et e suavissima caritate, plena fervoris, unctionis, suavitatis, quae inculcat templi dignitatem, quod sit «domus Patris», non convertenda in «domum negotiationis», ex tanta dignitate in tantam abiectionem.

2. Christus pauperes amanter potius cupit tractari vel delinquentes: sunt cum reprehensione instruendi, monendi, ipsa severitas mansuetudine temperanda.

De sermone, quem fecit Christus in monte.

(Mt c. 5)

Primo. Ad dilectos *suos discipulos* separatim *loquitur* de octo beatitudinibus: «*Beati pauperes spiritu, mites, miseri-*

cordes, qui lugent, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, mundo corde, pacifici, et qui persecutionem patiuntur.»

Secundo. Hortatur illos, ut utantur bene suis talentis: «*Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.*»

Tertio. *Se ostendit non* transgressorem *legis, sed* consummatorem, explicans praeceptum *de non occidendo, non moechando, non peierando, et de diligendis inimicis:* «*Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, bene facite his, qui oderunt vos.*»

«Transgressorem, consummatorem»; Mt: «solvere, adimplere».

Hanc contemplationem non totum illum Christi sermonem, sed solum quintum Matthaei caput complecti e punctis a sancto Patre propositis effici videtur. Immo inter haec primum punctum ceteris quodam modo potioris esse momenti inferri potest ex contemplationis inscriptione, die octava: «De sermone in monte, qui est de octo beatitudinibus.»

Introducitur Christus eloquens beatitudines ad suos discipulos «*separatim*». Con-

cordat istud tum cum vexillorum meditatione, tum cum Mt 5, 1 2: «accesserunt ad eum discipuli eius et . . . docebat *eos*». Contradicere videtur Mt 7, 28: «Et factum est, cum consummasset Iesus verba haec, admirabantur *turbae* super doctrina eius». Sed haec facile componuntur assumendo Iesum ea quidem proxime ad apostolos et pro apostolis esse elocutum, sed ita ut simul turbae sermonem audirent. — Obtinet tamen aliqua inter hoc mysterium et vexillorum meditationem differentia. In vexillorum meditatione apostolis tradebatur doctrina inter alios spargenda, in contemplatione de sermone in monte facto affirmatur explicite eos debere ante cetera omnia hanc doctrinam *sibi* applicare neque verbo solum, sed opere profiteri et exemplo. Sane de hoc diserte monendus erat exercitans, ubi semel statuisset apostolicam vitam ipse profiteri.

Commendat utique hoc mysterio Christus humilitatem, qualis ea a sancto Patre definitur, verum explicite nondum tertium eius gradum, sed secundum. Id clarissime patet ex tertio puncto: «se ostendit non transgressorum legis, sed consummatorem»; universa enim puncti doctrina in eo est, ut excludantur peccata, non externa tantum, sed

etiam interna, non graviora solum, sed etiam leviora.

In primo puncto beatitudines considerandae sunt ab exercitante per modum unius, uti ipsa sancti textus compendiosa citatio innuere videtur; non seorsim et secundum specificas differentias, secus enim in immensum excresceret contemplatio. Iam vero, sub hoc summario aspectu, beatitudines inculcant abnegationem naturalium nostrarum propensionum ad eiusmodi obiecta, quae vel de se indifferentia sunt vel pro indifferentibus ab hominibus habentur: possessionem, retributionem, laetitiam etc. Sed talis abnegatio recidit in indifferentiam.

«Secundo», ait sanctus Pater, «hortatur illos, ut utantur bene suis talentis.» Haec «talentorum» in secundo puncto facta mentio in memoriam revocat, quod in mysterio vocationis apostolorum dicebatur de «donis et gratiis, quibus fuere elevati». Expressio «uti talentis» ponitur tamquam synonyma voci Christi: «luceat lux vestra». Talenta sunt lux accepta ideoque ad gloriam Patris caelestis adhibenda; sunt tamen etiam lux nostra, quia libero nostro arbitrio permittuntur; natura, ab his donis praecisa, est veluti linum seu lampas, divinis charismatibus inflammanda. Lux illa lucet, quando talenta accepta et

per modum habitus possessa transeunt in actum, in opera scil. bona, quae videantur oportet et visa ad gloriam Patris referantur. Videnda autem sunt «ab hominibus», i. e. ab *omnibus* hominibus, «per omnes status et condiciones personarum» (de vexillis); et hoc est «talentis *bene* uti». Qui bonus talentorum usus consistit in «spargendo sacram doctrinam» Christi utique verbo, sed magis etiam exemplo; unde habes, quod supra monuimus, inculcari in hoc mysterio apostolorum obligationem, ut doctrinam Christi non praedicent tantum, sed et ipsi opere exsequantur. Ea vero totius humanae actionis sub «gloriam Patris» subordinatio, quid rursum est aliud quam humilitas, sensu sancti Patris intellecta!

Sermone in monte edito Christus rex *regni legem* promulgat. Unde contemplatio haec affinior est meditationis de *regno Christi*, quam meditationis de vexillis. Quod ibi dicitur per metaphoram («qui voluerit venire mecum»), hic sine metaphora explicatur: leges morum a christiano servandae. Non attingitur illa «oblatio maioris aestimationis» facienda ab iis, «qui magis affici volent erga Christum regem», sed sistitur in *lege* regni. Cum vero regnum sit et intra nos et etiam extra nos, habes puncto primo legem de *affectibus cordis* seu de *indifferentia*, puncto

secundo et tertio legem de *vita externa:* de *exemplo vitae* puncto secundo, de *lege vitae* puncto tertio. In quibus omnibus sanctus Pater attingit tantum officia et affectus respectu proximi (mandata 5—10 decalogi), non officia in Deum et parentes. Hunc modum nexus sermonis evangelici in punctis exponendi suggerit comparata meditatio de regno Christi.

Punctum I.

De octo beatitudinibus.

I. *Ad quos* loquitur?

«*Ad discipulos*» tam rudis et abiectae condicionis, quidquid futuri essent sola gratia futuros; ad discipulos «*dilectos*», ad tantam dignitatem tam suaviter vocatos, tantisque donis deinceps ornandos; ad eos «*separatim*», ipsorum proxime utilitati, sed in ipsis ceterorum quoque institutioni prospiciens.

II. *Quid* loquitur?

«Beati pauperes» etc.

1. Commendat paupertatem, mansuetudinem etc., i. e. abnegationem naturalis propensionis ad ea obiecta, quae vel de se indifferentia sunt, vel pro indifferentibus a Iudaeis habebantur: possessionem, retributionem, laetitiam, cibum, rerum suarum studium, sensualitatem, tenacitatem, favorem humanum.

2. Affirmat eam abnegationem esse viam certissimam ad regnum caelorum, aeternam omnis boni consummationem; regnum caelorum illas ipsas naturales propensiones cumulatius esse expleturum, saturaturum esurientes etc.; pauperes etc. iam in hac vita et in ipsa sua paupertate etc. esse beatos, eoque beatiores, quo studiosius illas abnegent propensiones.

3. Quibus ostendit eadem abnegatione ius quodam modo conferri civitatis beatae illius Hierusalem, quam ipse iamiam collecturus est.

«Vae vobis divitibus» etc. (Lc 6, 24 sqq).

1. Dehortatur Iesus ab earundem propensionum indulgentia.

2. Affirmat eam indulgentiam excludere ab altiori emolumento: «habetis consolationem vestram»; consequenter habere comitem dolorem: «esurietis, lugebitis et flebitis»; ideoque in praesenti iam vita esse «vae», quod iuremerito sit deplorandum, animamque privet pace.

III. *Quis* loquitur?

Considera, quomodo tota haec doctrina de ore Christi procedat («aperiens os suum»): de ore regis, ergo summae sit auctoritatis; de ore Dei, ergo infallibilis veritatis; de ore

amabilissimi hominum, ergo plena suavitatis et gratiae. Tandem secundum Christi verba Mt 15, 18: «Quae procedunt de ore, de corde exeunt», adverte totam hanc doctrinam procedere de corde humillimo servatoris, tamquam rem illi intime propriam. Item considera, quomodo hanc Christus doctrinam, tamquam summam et programma totius suae doctrinae, primo omnino loco enuntiet; quomodo eam inculcet oppositione contrariorum («beati» — «vae»), enumeratione singularum quarumque propensionum («pauperes, mites» etc.), repetita enuntiatione felicitatis et infelicitatis («beati» — «vae»), diversitate imaginum, quibus unam eandemque, modo beatitudinem modo damnationem, enuntiat («ipsorum est regnum caelorum, possidebunt terram, consolabuntur» etc.).

Punctum II.

De talentorum usu.

I. «*Vos estis lux mundi.*»

«*Vos*», linum tenue ac vile propter abiectam vestram condicionem; «*estis lux*», ex gratuita quidem mea largitione, attamen vere *estis*, ita ut lux, qua lucetis, iam vere sit lux *vestra*, vestra cum omni suo splendore suaque benedictione; «*lux*» estis doctrina, quam estis praedicaturi, vita, quam estis verbo et exemplo

ostensuri, directione, qua estis viam monstraturi; «*mundi*», i. e. hominum omnium, cuius vocationis ponderanda sublimitas, qua constituuntur apostoli lucerna super candelabrum et urbs in vertice montis eminens, atque beneficentia, cum omnes homines complectatur eosque tam spissis peccati et ignorantiae tenebris obvolutos.

II. «*Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.*»

1. «*Luceat*», quia lux est, ad hoc a me concessa, ut luceat; quia talentum est, cuius vobis ratio erit aliquando reddenda. Luceat proportione lucis acceptae, luceat «*coram hominibus*» omnibus seu toto mundo, quia pro illorum vobis salute conceditur.

2. Luceat «*operibus*», imprimis *exemplo vitae,* quod exemplum exprimat oportet

a) *affectus cordis* (punctum 1): non sufficit pharisaica observatio legis a pravis affectibus profecta;

b) *legem meam,* quae est norma vitae recte agendae.

III. «*Et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.*»

1. Nolite quaerere gloriam *vestram,* quia gloria haec iniqua est, tribuens vobis quod

est Patris; quia gloria generat superbiam, superbia repellit gratiam; quia ego non quaesivi gloriam meam.

2. Quaerite gloriam *Patris,* quia ob hanc unam creati estis, quia hanc unam Deus et ego quaerimus inde ab incarnatione: «Gloria in excelsis Deo»; quia decet meos apostolos eum unice finem intendere, quem ego intendo; quia sic tantum invenietis pacem eritisque aliis ministri verae pacis.

Punctum III.

De lege perfecte adimplenda.

I. Considera Christum exigentem mandatorum observationem consummatam

1. quoad ipsa *obiecta observanda.*

Generatim peccata excluduntur non externa solum, sed etiam interna, non graviora solum, sed etiam leviora; exigitur non primus solum, sed etiam secundus humilitatis gradus. — Speciatim prohibetur non homicidium solum, sed omne inimicitiarum genus, iuncta plena reconciliatione (Mt 5, 21 sqq); non solum adulterium, sed sensualitas quaevis voluntaria (v. 27 sqq); non solum divortium adhibito repudii libello, sed divortium quodlibet, exclusa fornicationis causa (v. 31 sq); non periurium solum, sed quaelibet a ser-

monis simplicitate deflexio (v. 33 sqq); non vindicta solum proscribitur, sed iubetur reddi bonum pro malo (v. 38 sqq); exigitur non amicorum solum, sed etiam inimicorum dilectio (v. 43 sqq).

2. Quoad supremam *observationis normam.*

«Estote ergo vos perfecti», i. e. liberi peccato tam gravi quam levi et qualibet insuper affectionum deordinatione, «sicut et Pater vester caelestis perfectus est». Hinc prototypon nostrae perfectionis est Patris intemerata perfectio; eiusdem motivum in eo cernitur, nos esse Dei filios ideoque illi debere assimilari, nosque caelo destinari et ideo magis magisque debere omni labe carere.

II. Considera, qua instantia id Christus commendet.

Commendat *iterato* et *emphatice:* «Nolite putare, quoniam veni etc. Non veni solvere, sed adimplere. Iota unum aut unus apex etc. Estote ergo vos perfecti etc.» — Commendationem *asseveratione* firmat: «Amen quippe dico vobis, donec transeat caelum et terra, etc.» — Eandem inculcat *minis* et *promissis:* «Qui ergo solverit unum etc. Qui autem fecerit et docuerit etc. Dico enim vobis, quia, nisi abundaverit etc.» — A gene-

rali thesi ad *particularia* mandata descendit, immo in his varias rursum applicationes discernit. — Constanti *antithesi* effert eam quam exigit perfectionem: «Audistis, quia dictum est antiquis etc. Ego autem dico vobis etc.»

Quomodo Christus sedavit maris tempestatem.

(Mt 8, 23—27.)

Primo. *Dum Christus Dominus noster dormiebat in mari, facta est magna tempestas.*

Secundo. *Discipuli eius* territi *excitarunt eum,* quos ob exiguam fidem, quam habebant, reprehendit, *dicens illis: «Quid timidi estis, modicae fidei?»*

Tertio. Praecepit *ventis et mari,* ut cessarent; et illis ita cessantibus, *factum est tranquillum mare, de quo mirabantur homines dicentes: «Qualis est hic, quia venti et mare oboediunt ei?»*

Cf. Mc 4, 36—40; Lc 8, 22—25. — «Tempestas» solum recurrit Lc 8, 24; Mt 8, 24: «motus», Mc 4, 37 et Lc 8, 23: «procella». — Mt: «imperavit ventis et mari»; Mc: «com-

minatus est vento et dixit mari»; Lc: «increpavit ventum et tempestatem aquae». — Verbum «cessare» non habet Mt, sed Mc et Lc; omnes tres habent: «facta est tranquillitas».

Sequuntur iam mysteria septem, quorum priora quinque diverso ab eo quo in evangeliis referuntur ordine (cf. p. 57 sqq) a sancto Patre proponuntur. Et primum quidem iungit ipse duo miracula tempestatis sedatae et ambulationis super aquas, quorum utique evidens est affinitas. Utrumque scil. in mari locum habet, diffidentiam et timorem reprimit, fiduciam contra Luciferum militaturis tam necessariam inculcat. Utrobique territi exhibentur discipuli, «modica fides» reprehenditur, terroris causa a Christo tandem removetur, extrema utraque contemplatione invitatur meditans, ut quis Christus sit penitius rimetur: «Qualis est hic, quia venti et mare oboediunt ei? — Ego sum. — Vere filius Dei es.» Est tamen etiam differentia. Ubi advertas alterum mysterium duplici velut parte coalescere, quarum prior priori mysterio exactius respondet, altera ulterius progreditur. Habes siquidem utrimque maris tempestatem. Ibi discipulorum diffidentia miraculo corrigitur, hic discipuli iam meliora edocti perseverant quiete «laborantes in remigando». Sed hinc novum iam terroris obiectum se offert, non a

viribus inanimis naturae (tempestas), sed e mundo spirituali profectum: phantasma. Quo rursum discipulorum fides labefactatur, rursum Christi verbo redintegratur; immo S. Petrus inde occasionem sumit assurgendi ad ipsam fidem miraculorum. Ast hinc nova diffidentiae occasio. Nam in ipsa sua miraculosa ambulatione S. Petrus naturali vitae salvandae medio, navis scil. sustentaculo, destitutus, naturali periculo venti validi circumventus et miraculosi auxilii, quo actu sustentatur, immemor timore abripitur. Habetur igitur reapse evolutio quaedam, dum fiducia inculcatur, non cuiusvis solum generis ingruente periculo, sed quavis etiam deficiente naturali ope. Vides, quam efficaciter haec duo mysteria eum foveant affectum, qui in puncto primo et secundo alterius vexillorum partis potissimum inculcabatur: *fiduciam*, quae egregie factorum atque generosae imprimis electionis causa esse consuevit.

Punctum I.

Oritur tempestas.

I. «*Christus dormiebat in mari.*»

1. *Mare*, elementum inquietum, inferax, periculis plenum, non praebens permanentem stationem hominibus, — oppositum litori firmo, fertili, tuto, stabilibus habitaculis obsito, —

imago praesentis vitae inquietae, miserae, transitoriae, periculis plenae, oppositae vitae aeternae et beatae.

2. *Christus erat in mari:* «Christus Dominus noster», i. e. Deus et homo, dominus litoris et maris, aeternitatis et temporis; qui per incarnationem de litore aeternitatis descenderat in mare vitae mortalis, subiectus ipse cunctis eius maris fluctuationibus, simul tamen retinens maris dominium. Versatur iam in mari cum discipulis qui possit compati eorum necessitatibus eosque periculis eripere: ergo nihil discipulis nisi Christo permittente accidere poterat, omnia illis cum Christo versantibus cessura erant in salutem, fiducia igitur in Christum iis opus erat.

3. *Christus dormiebat in mari,* nullum sensibilem edebat suae divinae, immo ne humanae quidem praesentiae effectum; tamen solum eius praesentiae factum pignus erat sufficientissimum salutis: navis ipsum ferens perire non poterat.

II. «*Facta est magna tempestas.*»

1. *Tempestas* — permittit igitur Deus effectu legum naturae tempestatem oriri contra Christi discipulos; permittet eiusmodi oriri etiam contra nos, effectu sive legum naturae sive corruptionis nostrae, mundi, hominum,

daemonis; permittet, ut excite. in nobis fidem, fiduciam, humilitatem, ut inde tanto praeclarius manifestet suam potentiam, ut sic magis in dies nos ab omni affectu rerum mundanarum abstrahat et ad plenius participandum de divitiis vitae supernaturalis in ipso absconditis nos sollicitet.

2. *Magna* — fuit illa tempestas magna propter vehementem commotionem aquarum et aëris et hinc magnum terrorem discipulis incussum, propter magnitudinem bonorum in discrimen vocatorum, scil. vitae ipsius et apostolicae vocationis, propter longam fortasse durationem. Nos igitur quoque manent tempestates, non exiguae solum, sed magnae, in quibus opus erit magna fide, fiducia, humilitate; Christus exseret magnam potentiam in nobis liberandis, magnus erit fructus vitae verae.

3. Considera, quomodo nihil omnino apostolis fuerit timendum in tempestate illa quantumvis magna, cum Christum secum in navi haberent vel dormientem: «*Dum* Christus dormiebat, facta est tempestas.»

Punctum II.

Excitatur Christus.

I. «*Discipuli eius territi excitarunt eum.*»

1. *Excitarunt eum.* Debemus in adversis ad Iesum recurrere, eum oratione excitare,

quia nos ipsi salvare non possumus, quia ipse «Dominus» est habens potestatem et voluntatem salvandi, quia vult nos ad ipsum recurrere, et ad eum praecise finem pericula nostra permittit. Cur toties tentationibus superamur, desolatione opprimimur? Quia Christum oratione non excitamus: hoc unicum veri nominis periculum.

2. *Territi.* Apostolos nimium tribuere periculo neque satis Christo, fiduciamque vitiare diffidentia patet eorum *verbis:* «perimus», qua voce ruinam absolute affirmant, «non ad te pertinet, quia perimus?» quae vox Mc 4, 38 irreverentiam sapit; item *actibus*: videntur quippe apostoli supponere Iesum, ni suscitetur, salvare eos non posse, hincque magna eum vehementia suscitant.

II. «*Quos ad exiguam fidem, quam habebant, reprehendit*» *etc.*

1. «*Quid timidi estis?*» Nulla, ubi Iesus adest, ratio timendi idque ideo, quod Iesu potentia omnino par sit cuivis quantovis periculo certe, integre, facile, instantanee removendo; quodque Ss. Cor eius nostrae sit salutis perquam sollicitum. Iniuriam igitur infert Iesu aut potentiae aut caritati quicumque Iesum secum in navi habens terretur.

2. «*Modicae fidei*» est timere, quando Iesum habes tecum, quantalibet ingruant vel ipsius vitae pericula. Discipulos Iesu, quamvis modicae sint condicionis, prudentiae, virtutis, tamen, quod Iesum secum habeant in navi, non modicae, sed magnae oportet esse fidei.

3. Non prius Iesus opem fert, quam tenuem apostolorum fidem roboravit: modica nostra fides saepe causa est, cur non exaudiamur.

Punctum III.

Sedatur tempestas.

1. «*Praecepit ventis et mari, et ita illis cessantibus factum est tranquillum mare.*»

1. «*Surgens* de humili cubatione ad sollemnem erectionem — «*imperavit*»: ipse, secus humilis totus et amabilis, verbis nunc utitur, quae exprimunt auctoritatem eamque plenissimam, praecipiens, ut venti et mare, elementa mere humanae voluntati prorsus rebellia, cessent omnino, instantanee, cessentque a maximo furore. «*Et*» — i. e. ilico, effectu iussionem instantanee secuto — «*facta est tranquillitas*» ea praecise, quae iubebatur, — «*magna*» tam maris quam venti, ut magna etiam dicebatur tempestas; effectus iussioni perfectissime respondet.

2. Hinc perpendam vocis Christi virtutem, sive imperantis sive etiam consulentis et suadentis. Omnia possum in eo, qui me confortat, tam relate ad statum vitae, ad quem me vocat non obstantibus quibusvis difficultatibus amplectendum, quam ad perseverandum in eodem quibusvis ingruentibus tentationibus.

II. «*De quo mirabantur homines*» *etc.*

1. Iesus ilico post patratum miraculum humilis iterum subsidet et amabilis; sub qua tamen humilitatis specie continuo latet expedita plenitudo maiestatis et potestatis, qua facile potest ab omnibus nos periculis eruere.

2. Homines, eo miraculo attenti facti, inquirunt, quis sit homo ille tam humili specie: «Qualis est hic etc.?» Etiam mihi servator intimius atque intimius noscendus, quo divinitate eius perspecta plenissime confidam, eum in omnibus mihi opem ferre et posse et velle.

Quomodo Christus ambulabat super mare.

(Mt 14, 22—23.)

Primo. Cum Christus Dominus noster esset in monte, iussit *discipulos* abire *in naviculam et dimissa turba* coepit orationem facere *solus*.

Secundo. *Navicula iactabatur fluctibus, ad quam Christus venit ambulans super* aquam, *et discipuli putabant phantasma esse.*

Tertio. *Dicente illis Christo: «Ego sum, nolite timere», S. Petrus* eius iussu *venit ad illum ambulans super aquam, qui* dubitans *coepit mergi, sed Christus Dominus noster illum* liberavit et reprehendit eum *de modica eius fide, ac postea,* intrante illo *in naviculam, cessavit ventus.*

Cf. Mc 6, 45—52; Io 6, 14—21. — Videtur minus accurata constructio: non enim *cum* Christus esset in monte, iussit etc., sed primum iussit, ac inde recepit se in montem. Fortasse sanctus Pater affinitate praecedentis de sedata tempestate mysterii inductus est, ut simili hoc loco uteretur constructione ei,

quam ibi scripserat: «Dum dormiebat etc., facta est magna tempestas.» — Mt: «compulit», Mc: «coëgit». Vocem «iussit» habet Mt 8, 18 in praecedenti mysterio. — *Hisp.*: «se fuesen». Mt: «ascendere in naviculam», Mc: «ascendere navim». — «Coepit» non legitur in evangeliis. — Mt et Mc: «orare». — Mt: «super mare», Mc et Io: «supra mare»; sed «super aquas», «super aquam» ilico legitur Mt 14, 28 29, quem evangelistam presse sanctus Pater sequitur. — Verba de phantasmate magis consonant Marco, sensum etiam Matthaeus habet. — Totum punctum tertium apud solum Matth. exstat, qui pro «eius iussu» scribit «iube», pro «dubitans» «timuit», pro «liberavit» «extendens manum», pro «intrante illo» «cum ascendissent». — Recole insuper, quae dicebamus initio praecedentis mysterii.

Punctum I.

Discipuli in navim dimissi.

I. Discipuli dimissi.

Christus tempestatis praescius discipulos tamen ab intranda navi non cohibet, cum velit eos per tribulationes manuducere ad vitam veram. Immo «iussit» discipulos «abire» a se, ostendens sensibilem et corporalem suam praesentiam, qualis in prae-

cedente mysterio locum habuerat, ad eos servandos nequaquam requiri. Ergo sive adsit Christus corpore sive absit, tuti omnino ab omni periculo sunt apostoli.

II. Christus orans. Ea securitas procedit ex oratione Christi.

1. Quis orat? Ipse filius Dei. — Quid agit? Orationem facit», applicans omnes et singulas facultates animae, eliciens, repetens, augens varios ex ordine actus. — Quomodo orat? «Dimissa turba solus» in monte, soli Deo unitus, segregatus a reliquis omnibus, ipso reverenti corporis habitu hanc mentis solitudinem exprimens. — Quando orat? Eo ipso tempore, quo discipuli navi conscensa in mari versantur. — Pro quibus orat? Pro discipulis. — Quid orat? Ut vitam habeant et abundantius habeant, utque ex praesenti probatione proficiant. — Quo effectu orat? Perpende orationis Christi excellentiam infinitam, efficaciam infallibilem: non possunt interire apostoli, dum Christus pro illis orat.

2. Mare est mundus, vita haec inconstans, mutabilis; mons est caelum, ubi Christus est ad dexteram Patris, interpellans pro nobis: tuti sunt in quibuslibet tempestatibus ii, pro quibus Christus in caelo interpellat et orat.

Punctum II.

Christus ad discipulos accedens.

I. «*Navicula iactabatur fluctibus.*»

Considera, quomodo apostoli in laborando quiete perseverent: «laborabant in remigando, — quasi stadia viginti quinque aut triginta», usque ad quartam vigiliam noctis, nullis terroris aut desperationis editis signis. Est is fructus tentationis, quam praecedenti mysterio experti sunt: vide tentationum utilitatem. Quo toto tempore Christus continuat orationem, quae oratio gratiam illis impetrat perseverantiae et quietis.

II. «*Ad quam Christus venit ambulans super aquam.*»

1. De monte discipulorum contemplatur laborem, omniscius. Proficiscitur ad eos confortandos, benignissimus, ne rogatus quidem, omnem eorum exspectationem praeveniens, dum adhuc in medio mari versantur. Ambulat super mare, omnipotens.

2. Considera, quam penitus ab omni periculo remoti in mediis fluctibus sint apostoli, dum omnipotentia benignissime ad eorum convolat auxilium.

3. Tamen Christus «volebat praeterire eos». Vocari vult oratione; si non vocas-

sent, praeteriisset; vocandus est oratione, ut veniat consolatione.

III. «*Discipuli putabant phantasma esse.*»

1. Considera incertitudinem humani iudicii diffidentia turbati, quod modo Christum reputat phantasma, alias diabolicum phantasma reputat angelum lucis; incertitudinem humanae virtutis, licet alias probatae; diffidentiae stultitiam, quae Christum in auxilium properantem reputat phantasma hincque in trepidationem agitur, cum tamen qui tempestati imperavit Christus imperare etiam possit phantasmati.

2. Christus ob eum diffidentiae errorem non irascitur, non se retrahit, cum adhuc apostolorum licet incertae voluntates sincere ipsi adhaereant.

Punctum III.

Christus discipulis se manifestans.

I. «*Ego sum, nolite timere.*»

Vocis sonus adiuvat, ut formam loquentis discernant. «Ego sum», ergo non phantasma, sed qui impero ventis et mari, qui alias vos illis eripui, amantissimus vestri, qui vos vocavi totque iam gratiis cumulavi. Igitur «nolite timere»: me adstante, nulla potest esse ratio timoris.

II. *S. Petrus.*

1. Modo cum ceteris pusillanimitate mergebatur; nunc ad vocem Christi assurgit ad ipsum fidei apicem, fidem scil. miraculorum: vide, quam cito ex summa deiectione possit nos Christi gratia ad summam elevare virtutem. Ad verba «ego sum» reviviscit in Petri mente in Christum fides et fiducia. Hinc, «si tu es», *potes* me iubere ambulare super aquam et, si iubes, *possum* id agere; ergo «iube me venire ad te super aquam».

2. Fidem remunerat Christus gratia miraculi. Vox «veni» ab eadem procedit auctoritate, quae pronuntiato creationis «fiat» ventis et maribus leges praescripserat, revocabat ea in mentem apostolicae vocationis gratiam eadem voce collatam, atque tot eam subsecutas gratias. Voce «veni» Petro gratia confertur obsequendi, atque naturae vires suspenduntur.

3. Petrus, intuitu fixo in Iesum, fide ambulat super aquam, sed attentione a Christo abstracta et ad ventum validum conversa, rursum a summa fide in pusillanimitatem delabitur et timere incipiens incipit mergi, Christi nihilominus virtute quadamtenus adhuc sustentatus, ne mersio illi sit ad interitum, sed ad salutem. Hinc, intuitu per praesens periculum ad Iesum revocato, rursus

assurgit Petrus ad genuinam fidem, in Iesu «Domino» plenitudinem potentiae agnoscit et verbis «salvum me fac» eius appellat bonitatem.

III. *Christus.*

1. Petrum in fide tam inconstantem minime repellit, sed protensa omnipotenti manu a periculo vitae *liberat;* immo addita suavi *reprehensione* magis etiam liberat a fidei inconstantia et pusillanimitate, et abundantiam verae vitae et libertatis in eum transfundit.

2. Naviculam ingressus non voce edita neque manu extensa, sed solo hac vice voluntatis actu ventum compescit et navim momento litori admovet (Io 6, 21).

3. Apostoli hoc tanto miraculo penitius perspiciunt, quae sit ultima ratio tantae in Iesu potentiae et benignitatis, eius scil. divinitas, idque prostratione et protestatione profitentur.

Quomodo apostoli fuere missi ad praedicandum.

(Mt 10, 1—16.)

Primo. *Vocat Christus* dilectos *suos discipulos et dat illis potestatem eiciendi daemonia* ex hominum corporibus *et curandi omnes infirmitates.*

Secundo. Instruit illos *de prudentia et* patientia: «*Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.*»

Tertio. Tradit illis modum eundi: «*Nolite possidere aurum neque argentum; gratis accepistis, gratis date.*» Deditque eis materiam praedicandi: «*Euntes praedicate dicentes: Quia appropinquavit regnum caelorum.*»

Cf. Mc 6, 7—9; Lc 9, 1—3. Citationes omnes sunt ex S. Matthaeo, sed hic et exercitiorum versio vulgata ponunt verba «gratis accepistis, gratis date» *ante* «nolite possidere aurum neque argentum». — «Daemonia» habet Lc; Mt et Mc: «spirituum immundorum», et addit Mt: «ut eicerent eos».

Hoc quoque mysterium *fiduciam* auget, cum exhibeat Christi non iam in solas tempestates et phantasmata, sed in ipsa daemonia itemque morbos potestatem, eamque non solum ad bonum discipulorum exercitam, sed iis ipsis communicatam.

Est et aliud praeter fiduciam, quo huius mysterii cum vexillis affinitas proditur. «Mittuntur» discipuli, uti ibi, nondum sane «per universum mundum», sed: «In viam», inquit, «gentium ne abieritis etc.» Missionis

scil. universalitas nonnisi in nona tandem apparitione absolvitur his verbis: «Euntes ergo docete omnes gentes.» Item potestas hoc loco confertur solummodo «eiciendi daemonia ex hominum *corporibus* et curandi omnes infirmitates» *(corporum)*; praeter quam subordinatam potestatem (cf. Mc 16, 17) in nona apparitione altera potior confertur: «Docete baptizantes», et alias post resurrectionem potestas pascendi oves, remittendi peccata et aliae, i. e. eiciendi daemones e *cordibus* hominum et curandi infirmitates *animorum*, «superbiam et omnia reliqua vitia» (Vex.). Hic scil., uti etiam alias, in meditationibus magis evoluta reperiuntur ea, quae in mysteriis incohative tantum et veluti in nucleo habentur.

Aliunde mysterium missionis apostolorum nos revocat ad eorundem vocationem. Idque iam prima prioris puncti voce exprimitur: «vocat». Potestas miraculorum tradita pertinet ad «dona et gratias» apostolis collata, et fovet affectum fiduciae in altero vocationis exercitio excitatum.

Singulorum punctorum scopus in ipso sancti Patris textu clare exprimitur. Primum confertur apostolis potestas quaedam externe peragendi, dein monentur de virtutibus interius fovendis, tandem edocentur «modum

eundi» et «materiam praedicandi». In vexillorum meditatione sola materia praedicandi, non vero eundi modus efferebatur; sed eundi modus pars est ipsius praedicationis, cum exemplo humilitatem et paupertatem inculcet. Dein distinctius in mysteriis quam in illa meditatione sanctus Pater illud urget, debere apostolum opere primum servare, quod voce praedicet.

Verba: «instruit illos de prudentia et patientia», iuvat conferre cum illis de vexillis verbis: «commendando illis, ut omnes velint adiuvare» — adiuvare prudenter utique et patienter. A sancto Patre effertur «prudentia et patientia», dum textus Scripturae citatus habet prudentiam et simplicitatem. Non idem est simplicitas atque patientia, neque patientia in columbis laudari consuevit. Habemus ergo tres virtutes: prudentiam, patientiam, simplicitatem, quarum tertiae sanctus Pater non ita insistere videtur, fortasse quod ea prudentiam necessario consequatur. Ceteroquin patientia certe implicite in textu sacro latet; ovibus siquidem in medios lupos immissis non sola prudentia opus est, sed etiam patientia; eadem Mt 10, 17 sqq explicite commendatur.

Praedicandi materia est «regnum caelorum», quod abnegatione naturalium incli-

nationum, speciatim paupertate et humilitate, obtineri sermone montano docebamur: «quoniam ipsorum est regnum caelorum». Regnum vero caelorum rursum quid est aliud nisi ipsum regnum Christi?

Punctum I.

Apostolorum missio.

I. «*Vocat Christus dilectos suos discipulos.*»

«*Dilectos*»: eosdem, quibus antea tantam prae aliis exhibuerat dilectionem: est enim fidelis in dilectione Christus. — «*Vocat.*» Vocaverat ad sequelam: secuti sunt vocantem. Eum sequentes perspexere eius virtutes, prudentiam etiam et patientiam, eius agendi et praedicandi rationem, eius miracula. Vocat iam ad tirocinium quoddam laborum. Vocando confert praedicandorum intelligentiam, praedicandi facundiam, disponit gratias ipsis et iis, qui audituri sunt, attribuendas.

II. *Eos mittit.*

Quis mittit? Filius Dei, auctoritate divina. — *Quos* mittit? Homines tam rudis et abiectae condicionis. — *Ad quos* mittit? «Ad oves domus Israel», oves suas, quas acquisiverat sibi in lumbis Abrahae, Israel aliorumque patriarcharum; ad oves, «quae per-

ierunt», astu Luciferi delapsae in peccatum et a Deo abstractae, hinc circumventas variis corporis languoribus, immo diabolicae identidem obsessioni mancipatas. — *Ad quid* mittit? Ad *praedicandum* ita, uti ipsum viderunt praedicantem, verbis illustrantem mentes et moventem voluntates. Finis eius praedicationis: homines perducere ad Christum servatorem, oves reducere, sanare, liberare.

III. «*Et dat illis potestatem eiciendi daemonia ex corporibus*» *etc.*

Praedicationi huic obstat hominum desidia, daemonum vafritia. Contra quae apostolis tradit potestatem miraculorum *propriam,* pertingentem ad mala quaevis humanum corpus afficientia, sive a viribus naturae sive a malis spiritibus profecta. Iudicent ipsi, quae et quot horum miraculorum oporteat eos patrare. Quae potestas pignus est quoddam plenioris aliquando conferendae potestatis ad spirituales etiam Luciferi catenas solvendas.

Punctum II.

Apostolorum interna animi compositio.

I. Apostolorum futura condicio.

1. «Ecce *ego* mitto vos»: considera mittentis sapientiam, omnipotentiam, benignitatem; hinc in omni tribulatione praesto erit

apostolis, quod iam praecedentia demonstrabant mysteria, supernaturale Christi auxilium, inter medios lupos degent securi. Quod tamen supernaturale auxilium rerum naturas haud subvertet, unde apostolis ea cautione erit incedendum, qua medios inter lupos incedere convenit.

2. «Sicut oves in medio luporum»: «oves», sicut ipse est agnus Dei, ergo inermes, mansuetos, humiles, patientes, pacificos, immo tandem mactandos. — «In medio luporum» de grege Luciferi, ferocium, violentorum, insatiabilium, inditam habentium particularem earum ovium aversionem et odium, numero nocendique artibus praepollentium («in medio»); ergo praesentius etiam earum ovium est exitium quam apostolorum fuerat, dum media iactabantur tempestate.

II. Virtutes exercendae.

Non mittit oviculas suas in medium luporum Christus, quin iis salutaria aliqua monita impertiatur. Observanda iis erit

1. «*prudentia*», ut incedant considerate et sine praecipitatione, sicut serpentes sine strepitu accedentes seque ingerentes, non omnia simul urgentes, omnibus omnia fieri studentes; quae autem prudentia «*simplicitas*» sit oportet, non astutia; sint apostoli sicut columbae doli ignarae, non «tentantes», non

«inicientes retia», sed recta pergentes ad propositum finem.

2. «*Patientia*» in perferendis adversis, quae eadem est *humilitas*. Praenuntiat Christus Mt 10, 17 sqq opprobria, tormenta, mortem, ut apostoli sint a maxime necessariis tradendi, coram tribunalia producendi, condemnandi, flagellandi, exanimandi. Sed v. 24 sq: «Non est discipulus super magistrum nec servus super dominum suum: sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius, et servo, sicut dominus eius.»

Punctum III.

Apostolorum externa agendi ratio.

I. Modus eundi.

1. In praedicatoris persona praescribitur *paupertas:* «Nolite possidere aurum neque argentum.» Haec possessa viam sternunt Luciferi artibus, non possessa tutissimum sunt munimentum humilitatis omnisque virtutis; his et Christus carebat, his carere oportet praedicaturos Christi paupertatem.

2. In praedicandi ministerio praescribitur *gratuitas:* «Gratis accepistis, gratis date.» Considera, quantae apostolis gratiae et quam gratuitae fuerint collatae, quas gratis ab ipsis communicari oporteat, quod pro communicandi labore non ab accipientibus remune-

randi sint, sed a Christo, a quo illa dispensanda acceperint, et quod ita magis glorificetur Pater, a quo ista omnia procedunt.

II. Materia praedicandi: «Appropinquavit regnum caelorum.»

«*Regnum caelorum*», cuius rex Deus caeli (Dn 2, 44) et Christus filius Dei, caelitus fundatum in terra, ad caelum perducens, in caelo carens fine; idem merces servorum Dei, hereditas filiorum, praemium certantium; regnum, inter quod et infernum non datur tertium, ergo necessario omnibus intrandum; regnum, cuius lex est lex caeli, ergo iustissima, sapientissima, sanctissima. — «*Appropinquavit*», adest: festinate in illud ingredi.

Considera, qua alacritate discipulos obsequi oporteat vocationi Christi tam liberali tamque honorificae.

De conversione Magdalenae.

(Lc 7, 36—50.)

Primo. Intrat *Magdalena*, ubi *Christus Dominus noster accumbit* mensae *in domo Pharisaei, quae ferebat* vas *alabastri* plenum *unguento*.

Secundo. *Stans* pone Dominum circa *pedes eius, lacrimis coepit eos rigare; et capillis capitis sui eos tergebat, et osculabatur pedes eius, et unguento eos ungebat.*

Tertio. *Cum Pharisaeus* accusasset *Magdalenam, Christus* loquitur in eius defensionem *dicens: «Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.» Et dixit ad mulierem: «Fides tua te salvam fecit, vade in pace.»*

Pro «pone circa» Lc: «retro secus»; pro «accusasset» Lc: «ait intra se dicens etc.»

Hoc mysterium in evangelio *ante* tria quae suprema explicabamus reperitur; quibuscum affinitas in Exercitiorum libro facilius discernitur. Reprehendebatur ibi, «modica fides», hic «fides» salvifica commendatur. Ibi adstantes interrogant: «Qualis est hic, quia venti et mare oboediunt ei?» vel protestantur: «Vere filius Dei es»; hic, quae quidem verba a sancto Patre non citantur, dicunt intra se: «Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?» Adest etiam gradatio, nam ibi mala excludebantur physica: naufragium, submersio, morbi, obsessio; hic malum morale: peccatum.

Punctum I.

Magdalena intrat.

I. *Iesus*

est *vita vera,* quia Deus est («in ipso vita erat»), quia qua homo omnino repletus est vita gratiae, quia Patris decreto unicus constitutus est fons vitae supernaturalis pro nobis. Hinc eius Ss. Cor ad id unum ab ipso vitae mortalis initio aspirat, «ut vitam habeant et abundantius habeant»; ad id unum omnes cogitationes, affectus, actiones conspirant; id unum omnis doctrina, omnia miracula intendunt, vel ipsa abnegationis lex. Hoc inflammatus desiderio intravit Iesus domum Pharisaei eiusque mensae accubuit, Pharisaeo quoque vitam impertiturus, dummodo ad id necessarias is afferat dispositiones.

II. *Pharisaeus*

Israelita est, conspicuus inter populares, bonis affluens, legis gnarus et in ea externe observanda etiam excellens, libertatis gentis suae propugnator, iis igitur omnibus insignis, quae ab hominibus magni fieri consuevere. — At idem necessariis caret dispositionibus ad vitam supernaturalem, sine qua reliqua omnia nullius sunt valoris, recipiendam. Caret humilitate, cum sit superbus, proprio fidat iudicio, alios iudicet. Caret

fide: non quod Iesum Messiam agnoscat, invitavit, cum ne prophetae quidem loco habeat; hinc nulla speciali honoris significatione illum excipit, aquam pedibus non praebet, neque oleum capiti, neque osculo salutat; gratiam ab illo exspectat nullam, quid enim gratiae exspectet Pharisaeus omnibus ipse numeris absolutus? Sola curiositate motus accersivit. — Pharisaeus igitur necessariis destitutus dispositionibus Ss. Cordi assidens nullam percipit gratiam, igni proximus perseverat frigidus, vitae attingens fontem caecus manet et mortuus.

III. *Magdalena*

«peccatrix» est, ergo peccato infecta, non unico, non paucis, sed cuius quadamtenus vita peccatum erat; in tota ea civitate ob peccata famosa, peccatricis nomine insignita; mortua est spiritualiter aliisque item mortis occasio fuit, a vita Christi quam longissime abest. — Ea iam «intrat», non invitata a Pharisaeo, qui eiusmodi mulierem nunquam in domum erat invitaturus. Audierat de Christi doctrina, miraculis, suavitate: gratia haec fuerat, quam ipsa abiecta peccatrix non repudiavit. Hinc nata altera gratia, cupiditas quaedam seu curiositas prophetae illius magni videndi et audiendi. Successit tertia gratia terroris, ne propheta intima

cordis perspiceret. Hinc nata primum peccatorum admissorum clara cognitio et sincerus rubor. Nata fiducia, eum, qui filium Dei se esse affirmaret, non solum secreta cordis penetraturum, sed potestatem quoque habere et voluntatem peccatorum remittendorum. Hinc ortum vitae obtinendae ardens desiderium et certior in dies spes, hinc genuinus dolor, caritas fervens, firmum emendandae vitae propositum. Cuius argumentum affert vas pretiosi unguenti, quod pridem licentiae illecebra iam servatoris pedibus ungendis attribuitur. — Considera, quomodo gratia Christi has omnes in Magdalenae animo gratias excitaverit, eam longinquo itinere de morte adduxerit ad vitam.

Punctum II.

Magdalena ungit.

I. *Iesus*

hac prima fidei, poenitentiae, caritatis significatione non inducitur, ut ad mulierem intrantem se convertat; de cuius tamen adventu Ss. eius Cor exsultat et in Magdalenae corde eosdem iugiter fovet et auget affectus.

II. *Magdalena.*

Locus, quo se recipit, prodit humilitatem: non iuxta aut coram, sed «pone» Dominum consistit; non prope caput, sed «circa pe-

des». — *Verba* audiuntur nulla ob propriae indignitatis conscientiam, ob internae contritionis vehementiam loquelam praecludentis, ob fidei et caritatis intensitatem, qua Christum omnia sine verbis perspecta habere novit. — *Actiones:* «lacrimis coepit rigare» poenitentiae; «capillis tergebat, unguento ungebat», firmissimi propositi argumentis; «osculabatur» ferventissima caritate. Considera constans fidei, caritatis, poenitentiae incrementum ex gratia Christi huic animae accedens, vitam gratiae mortem peccati superantem.

Punctum III.

Magdalena iustificatur.

I. *Pharisaeus*

fidei et caritatis expers superbe iudicat de iis, quae aguntur, «accusat Magdalenam» irreverentiae, Christum ignorantiae et falso sibi attributae propheticae auctoritatis. Vide, quam facile quamque graviter errent eorum iudicia, qui a fide et caritate recesserint.

II. *Iesus*

1. «loquitur in eius defensionem». — Proclamat legem de proportione observanda inter caritatem et donum; homines, qui sola externa dona, non internam caritatem perspiciunt, caritatem dono accepto dimetiri

consueverunt; Deus, internae caritatis scrutator, inversa via incedit, internae remissionis donum tribuit proportione perspectae sibi caritatis. — Qua lege statuta declarat Christus concessam esse mulieri peccatorum multorum, i. e. omnium, *remissionem* proportione multae eius *caritatis;* declarat excellentem *fidem* eaque partam *salutem;* declarat mulierem participem esse effectam eius *pacis,* quae incarnationis est fructus. Considera, quanti sit momenti ad salutem genuina fides et caritas, quam felix igitur fuerit Magdalena peccatrix, quae ex ipso veritatis ore didicerit suam genuinam esse fidem et caritatem certamque salutem.

2. Hoc ipso Christus se defendit: ostendens enim se Pharisaei intimarum cogitationum esse conscium, refellit ignorantiae accusationem; exercens remittendorum peccatorum potestatem, quam indubie demonstrat scrutatio cordium, stabilit propheticam auctoritatem; his adstantes sollicitat, ut serio examinent quaestionem: «Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?»

III. *Magdalena*

vadit in pace: peccatorum nacta veniam animaeque salutem vita fruitur supernaturali, suavissima repletur pace post vitae in peccatis transactae aestus. — Perseverat in pace:

vitam gratiae modo acceptam non iam amittit; Christo regionem circumeunti fidelis discipula sociatur; sub crucem cum matre admittitur; post resurrectionem ceteris discipulis prior visitatur; vita poenitentia et caritate transacta moritur in pace.

Quomodo Christus Dominus noster dedit ad manducandum quinque milibus hominum.

(Mt 14, 13—21.)

Primo. *Discipuli, cum iam* sero *fieret,* rogant *Christum, ut dimittat* multitudinem hominum, qui cum ipso erant.

Secundo. *Christus Dominus noster* mandavit discipulis, ut sibi afferrent panes, *et iussit, ut turbae discumberent, et benedixit et fregit et dedit discipulis suis panes illos, et discipuli multitudini.*

Tertio. «*Manducaverunt et saturati sunt, et tulerunt reliquias duodecim cophinos.*»

Mt: «vespere autem facto accesserunt dicentes»; Mc 6, 35: «et cum iam hora multa fieret, accesserunt dicentes»; Lc 9, 12: «dies

autem coeperat declinare; et accedentes duodecim dixerunt illi». — «Multitudinem hominum» nullus hoc loco evangelista habet, sed Io 6, 2 et 5 vox «multitudo» recurrit. — Mt: «qui ait eis: Afferte mihi illos huc», cum quo reliqua etiam fere concordant.

Hoc mysterium in evangelio praecedit ambulationem super aquas. Eo quem apud sanctum Patrem obtinet loco pulchre continuat gradationem, quam in prioribus quattuor mysteriis deprehendebamus, augetque affectum *fiduciae*, qui in vexillis et quattuor illis mysteriis inculcatur. Et ea quidem mysteria bonorum, quae in Christo sunt, demonstrabant partem *negativam* potius, protectionem inquam contra mala naturae, daemones, peccatum. Explicantur iam bona *positiva*, quae Christus largitur: in quinque milium refectione adumbratur refectio illa spiritualis, quae Christi fidelibus per ecclesiae ministros praebetur doctrina, regimine et imprimis Ss. Eucharistiae sacramento; in transfiguratione nobis affulget aeternae vitae gloria; in Lazari suscitatione Christus se sistit nobis ut resurrectio et vita. Haec rursum, uti priora illa, mysteria ad personam Christi intimius scrutandam nos sollicitant: quinque milium refectio non explicite quidem, nisi huc trahas S. Petri confessionem, quae

illam (Mt 16, 16 sqq) immediate videtur esse consecuta; transfiguratio verbis Patris: «Hic est filius meus dilectus»; Lazari suscitatio verbis Christi: «Ego sum resurrectio et vita: credis hoc?»

Atque hic lubet ad quaestionem illam referre pedem, quam in introductione indicabamus: utrum videlicet a sedata tempestate ad transfigurationem ordo mysteriorum apud sanctum Patrem ab ordine evangelico casu differat an consilio. Cuiusmodi quaestiones salebrosae atque incertae esse consueverunt habentque periculum, ne, dum auctoris sensa subtilius assecuti esse nobis videamur, figmenta nonnisi nostra persequamur. Tamen attentis iis, quae de illis mysteriis disputabamus, non erit homini prudenti et pio necessario repudianda opinio illa, quae in ordine evangelico deserendo S. Ignatium tuetur egisse consilio totumque fuisse in eo, ut et Christum intimius nobis revelaret nostramque augeret fiduciam.

Punctum I.

Populi fervor.

I. *Multitudo,*

1. regnum caelorum circa regem caeli adunatum, audiebat eius doctrinam, contuebatur miracula.

2. Ubi Iesus transfretavit navi, multi secuti sunt pedites. Iesus videns eos esse sicut oves non habentes pastorem rursum docebat, sanabat, loquebatur de regno Dei. Illi vero auscultabant, nihil curantes de tempore, de refectione, de itinere.

3. Vere multitudo haec esuriebat iustitiam, merebatur profecto ut a Christo saturaretur.

II. *Discipuli*

rogant id, quod suadebat prudentia humana, ut Christus multitudinem dimitteret: oratione impetrant id, quod longe erat excellentius, ut Iesus insigni miraculo saturaret multitudinem. Semper perseverandum in oratione, etiamsi ea nullum aut non optatum effectum videatur habere.

Punctum II.

Indoles miraculi efficiendi.

I. *Christus* decrevit multitudinem reficere *pane caelesti.*

Christus est *vita vera,* per divinitatem suam dans vitam; est etiam *panis vitae,* per humanitatem suam veram nobis communicat vitam supernaturalem: per suam *doctrinam,* verbum procedens de ore suo, quod Mt 4, 4 pani comparatur; per suam *gratiam* tot miraculis sensibus expressam, quae est fructus

actionum et mortis eius; per *carnem* suam, quam intendit nobis panem vitae praebere.

II. *Christus* praeterea intendit

1. discipulos eius miraculi *ministros* adhibere, atque ita muneri praeludere ipsis postmodum deferendo, ut sint ministri vitae omnis supernaturalis; hinc vult

2. nos docere non longo temporum locorumque intervallo a nobis dividi *vitam veram*, sed praesentem nobis ubique et semper adesse; frangi nobis *panem vitae* a discipulis Christi.

III. *Discipuli* igitur a Christo

1. ministri huius miraculi adhibentur: in afferendo pane, panis quippe non admittitur nisi eorum manibus allatus; in disponendis turbis (cf. Mc 6, 39; Lc 9, 14 sq), ad cibi quippe miraculosi convivium non admittuntur nisi ordine ab ipsis statuto discumbentes; in distribuendo pane, quem Christus «benedixit»: ea benedictio futurae multiplicationis est causa, sed multiplicatio non efficitur nisi pane prius transmisso per manus apostolorum; «et fregit», ubi consideres, quam parva et pauca sint ista fragmenta, sub manibus tandem apostolorum et multiplicanda et amplificanda; «et dedit discipulis suis, et discipuli multitudini», ubi panis sub di-

scipulorum manibus multiplicationem contempleris, neque alium multiplicari panem praeter illum, quem ipsi distribuerint, advertas.

2. Quibus omnibus iidem discipuli praemonstrantur futuri ministri totius vitae spiritualis: in praedicanda doctrina, ut sint doctores supremi, in gubernanda omni vita christiana, ut sint principes pastores, in ministrandis sacramentis, ut sint summi sacerdotes. Considera, quam sint sancta labia et manus sacerdotis.

Punctum III.

Multitudo miraculo refecta.

I. *Multitudo.*

1. «Manducaverunt et saturati sunt, et tulerunt reliquias duodecim cophinos.» Ubi consideres eius panis suavitatem, abundantiam, effectum redintegrandae ad tempus corporis vitae. Quae tamen omnia transitoria erant: brevi diffluit suavitas, exhauritur abundantia, effectus nutritionis consumitur.

2. Considera longe numerosiorem illam *multitudinem,* discipulorum aliquando ministerio ubique terrarum et usque ad consummationem saeculi reficiendam *pane vitae verae,* doctrinae scil. et sacramentorum Christi. Cuius panis adverte suavitatem, omnem mundanam suavitatem ineffabiliter superantem;

abundantiam, eam praebentem saturitatem, quae ulteriorem excludat esuriem («Qui venit ad me, non esuriet», Io 6, 35); effectum: «Qui manducat hunc panem, *vivet in aeternum*» (Io 6, 59).

II. Oculos reflecte ad *Christum,*

qui est ipse panis vitae, fons et origo omnis nostrae vitae. Adverte, ab eius labiis profectam doctrinam nobis a discipulis erroris expertem praedicari, eius nobis gratias et sacramenta eorum manibus ministrari, eius nos vocem ex eorum oribus audire.

De transfiguratione Christi.

(Mt 17, 1—9.)

Primo. *Assumens* comites *Christus Dominus noster* dilectos *discipulos suos Petrum, Iacobum et Ioannem, transfiguratus est et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius sicut nix.*

Secundo. *Loquebatur cum Moyse et Elia.*

Tertio. *Dicente S. Petro, ut facerent tria tabernacula,* sonuit *vox* de caelo, *quae dicebat:* «*Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*» Quam vocem *cum*

audissent discipuli eius, prae timore ceciderunt in facies suas; et Christus Dominus noster tetigit eos et dixit illis: «Surgite et nolite timere. Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.»

Cf. Mc 9, 1—8; Lc 9, 28—36, et quae diximus ante praecedentem contemplationem. — Evangelistae non habent «sonuit», sed «ecce», «venit», «facta est»; neque habent «de caelo», sed «de nube»; tamen «de caelo» habetur 2 Petr 1, 18 et apud tres evangelistas in analoga narratione baptismi Christi.

Punctum I.

Christus transfiguratur.

I. *Christus.*

1. «*Assumens comites*» *etc.* — *Dilexerat* Christus hos tres eadem atque ceteros apostolos dilectione, vocatos de mundo ad tam sublimem dignitatem, institutos sua doctrina et exemplo atque tot miraculis. Dilexerat speciali omnino dilectione Petrum, ut esset futurum caput ecclesiae; Iacobum, ut primus apostolorum sanguinem funderet pro ipso; Ioannem, ut esset discipulus prae ceteris dilectus. — Nunc specialem prae ceteris exhibet dilectionem, *assumens comites* itineris in mon-

tem testesque suae transfigurationis, aliquando assumendos comites itineris in hortum et testes suae agoniae, tandem cum reliquis futuros comites sui in caelum itineris indeficientisque gloriae.

2. «*Transfiguratus est.*» Christus erat habitualiter unitus Deo unione hypostatica et gratiae; actu illi intimius uniebatur *oratione*. «Dum oraret» (Lc 9, 29), transfiguratus est, similiter atque alii quidam sancti transfigurabantur in oratione. Intima illa cum Deo unio externum nacta est effectum et indicem transfigurationem, quae dicit *figurae* seu exterioris speciei mutationem ad tempus concessam.

3. Considera transfigurati servatoris pulchritudinem: *faciem* resplendentem, *vestem* nitentem, corpus a solo elevatum, indices mentis et voluntatis a sensibus abstractarum et ad Deum elevatarum.

4. *Ubi* transfiguratus est? Non in loco aliquo, ubi multitudo, sed in loco *solitario*, in *monte* elevato super vicissitudines vitae publicae, propiore caelo.

II. *Apostoli.*

1. Nos omnes Christum sequentes transfigurandi sumus spiritualiter saltem, induentes «novum hominem, qui secundum Deum

creatus est in iustitia et sanctitate veritatis» (Eph 4, 24). Ita etiam transfigurandi erant apostoli illi; immo, sicut Moyses et Elias, corporalis etiam Christi transfigurationis socii futuri erant ad tempus, si tantae gratiae se dignos exhibuissent.

2. Verum apostoli non orant, sed *dormiunt*. Considera viros illos nulla, ut cum Christo transfigurentur, adhibentes media, gravi sopore oppressos.

III. Transfiguratio haec est imago *status vitae contemplativae*.

Ad quam vocantur pauciores. Vita haec alta et excellens, caelo propior quam terrae, non cum Christo inter homines circumiens, sed Dei societate fruens in monte, cum Christo etiam ibidem transfigurata temporibus suis.

Sed vita illa non est tempus *dormiendi*, sed tempus *orandi*, continuo intenta purificandae animae mentique Deo iungendae.

Punctum II.

Christus cum Moyse et Elia conversatur.

I. *Moyses et Elias*.

1. Moyses, magnus Dei servus, petierat a Deo: «Ostende mihi faciem tuam»; cui responderat Deus: «Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet»

(Ex 33, 13 20). Eliae (3 Rg 19, 11 sqq) dictum est: «Egredere et sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis, subvertens montes et conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus. Et post ignem sibilus aurae tenuis. Quod cum audisset Elias», sciens faciem Domini impune videri non posse, «operuit vultum suum pallio.» Inde ambo viri, facie Domini nondum conspecta, in limbum descendere; ibi per plura saecula oraverant et exspectaverant, ut faciem Domini permitterentur videre. Tandem arcessuntur, faciem Domini in monte Tabor brevi tempore visuri, eamque amplam reputant tot precum tamque diuturnae exspectationis mercedem.

2. *Transfigurantur* cum Christo etiam ipsi «visi in maiestate» (Lc 9, 31). Transfigurantur quippe cum Christo animae generosae, quae Deum totis cordibus quaerunt.

II. *Christus.*

1. *Loquitur* Christus cum animis generosis, sua illis consilia et cordis affectus communicat, non incerte aut obscure, sed certe et distincte.

2. Sermonis autem potissimum caput «excessus, quem completurus erat in Hierusalem»,

mysterium crucis, ignominiosa quam subiturus erat mors, eiusque necessarius cum gloria nexus: «Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?» Attende, quanta ecstasi Christus transfiguratus de cruce loquatur, ut in eius mente et ore ipsa crux transfigurari videatur.

III. Qui *vitam contemplativam* agunt, neque necessario omnes neque constanter transfigurantur. Sunt longae sine lumine noctes desolationum et tantationum, tempestates violentae, ignes devorantes, rarius sibilus aurae tenuis, lux beata, caelestia consortia. Sunt transfigurationes verae et falsae; criterium crux, i. e. perfecta sui abnegatio et oboedientia. — Sed assidue omnes incumbant *internae* transfigurationi, ut mentem a creatis abstractam in Deum transferant.

Punctum III.

Apostolorum carpitur desidia.

I. *Apostoli.*

«Cum discederent ab illo» Moyses et Elias (Lc 9, 33), ipsiusque Christi transfiguratio iam vergeret ad finem, evigilat cum sociis Petrus et transfigurationis lumine percellitur. Anima somnolenta, non generosa, cupiens esse cum Christo, at simul cupiens trans-

figuratione perpetuo frui, in media delabitur insufficientia, inefficacia, absurda. Immemor redemptionis humanae a Christo complendae, ecclesiae constituendae, evangelii per totum orbem annuntiandi, uno abripitur desiderio perpetuo fruendi transfigurationis consolatione, et hinc tria tabernacula exstruenda suggerit, Christum cum Moyse et Elia perpetuo in monte permansurum supponit. Nihil penitus de Christi in Hierusalem «excessu» intelligit.

II. *Deus*

1. manifestat se apostolis illis, qua ratione in Vetere Testamento manifestari consueverat, non facie ad faciem, sed in *nube*, voce terribili. Hoc modo revocandae animae, quae non generose cum Deo procedunt, non recta ad ipsum tendunt, sed duplicitate aliqua.

2. «Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.» Haec una via perennis transfigurationis assequendae. Ipsum sequimini loquentem, dum via crucis incedit. Sed, quid loquitur? Mysterium crucis, necessitatem passionis.

III. *Christus*

leviter apostolos tangit, amice affatur, fiduciam inspirat, specie consueta, totus amabilis et indulgens. Visionem, qua tam severe redarguebantur apostoli, primum reticere ali

quamdiu permittit. Descendens de monte penitius illos instruit de «excessu, quem ipse completurus erat in Hierusalem». Loquitur patienter et mansuete, haud ignorans eos quae dicebantur haudquaquam intelligere.

IV. *Vitam contemplativam* quod attinet,

1. signa vocationis non sunt taedium laborum apostolicorum, amor vitae quietae, desiderium charismatum extraordinariorum.

2. Contemplativus non commode vivit in tabernaculis, sed in antris vel sub divo pernoctat. Audiat Moysen et Eliam in nube adstantes, oracula sacrorum librorum, audiat imprimis vocem Dei per ecclesiam et superiores loquentis, qua perducatur ad Christum, in quo est omnis sapientia et perfectio et gloria.

3. *Descendit* Christus, cui opus a Patre demandatum erat perficiendum inter homines, *descendunt* tres apostoli: qui certas inter homines implendas habet obligationes, qui non habet genuinae vocationis signa, at tempus si placet se recipiat in montem, ut Deo fruatur solus, sed postea *descendat* de monte, neque attentet sedem in monte figere perennem.

De resurrectione Lazari.

(Io 11, 1—44.)

Primo. *Certiorem faciunt Christum Dominum nostrum Martha et Maria de infirmitate Lazari, qua cognita substitit per duos dies,* ut miraculum esset evidentius.

Secundo. Antequam eum resuscitet, exigit ab una et ab altera, *ut credant, dicens: «Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.»*

Tertio. *Eum resuscitat, postquam lacrimatus esset* et orationem fecisset; et modus eum resuscitandi fuit iubendo: «*Lazare, veni foras.*»

Scriptura non dicit explicite eandem eum professionem fidei a Maria *exegisse.* Pro «iubendo» Io: «voce magna clamavit». — Vide, quae diximus ante quinque milium refectionem.

Punctum I.

Miraculum differtur.

I. *Christus certior fit de infirmitate Lazari.*

Considera Marthae et Mariae *fidem,* primum ex *facto* missi ad Christum nuntii, si

quidem tamquam remedium omnino primarium adhibent recursum ad Christum; dein ex *verbis:* «Domine» — qua voce Christi profitentur auctoritatem; «quem amas» — quibus vocibus eius agnoscunt ad auxilium ferendum paratum animum; «infirmatur» — qua voce factum subortae infirmitatis enuntiant tantummodo, nulla adiecta sollicitatione, sed toto effectu Christi in Lazarum amori fidenter permisso; nihil diffidentiae habet ea vox, non dicunt: «Salva nos, perimus»; verba exprimunt quietem, fiduciam, resignationem, pacem, quibus eae personae fruuntur in Christo vitae verae participes effectae, et Lazarus quidem in aegritudinis doloribus et vitae discrimine, sorores in sollicitudine de fratris salute.

II. *Christus biduo subsistit.*

1. Vere «diligebat Martham et sororem eius Mariam et Lazarum»; neque solum eorum aeternam cupiebat salutem, sed etiam in mortali vita cupiebat illis praebere argumenta sui specialis amoris, eorum petitis annuere, tristitiam lenire. Verum prae reliquis omnibus intendebat «gloriam Dei» (Io 11, 4 40), quae iam differri petita exigebat, non ob quemquam a Lazaro sororibusve admissum defectum, sed quo eorundem fides et fiducia clarius eluceret, quo evidentiori mira-

culo Deus glorificaretur, quo distinctius edoceremur in Christo omnem esse vitae verae plenitudinem.

2. Quare earum personarum amorem Dei gloriae subordinans subsistit. — Considera Christum toto eo biduo contemplantem Lazari resignationem, dolores, agoniam, iis compatientem eaque ad Dei gloriam permittentem; item contemplantem sororum fidem et tristitiam, iis compatientem atque ad gloriam Dei ut tristarentur permittentem. — Considera eodem tempore Lazarum non titubantem in fide, fiducia, resignatione, non dubitantem de Christi amore, morientem in osculo Domini; sorores non deficientes fide, humili fiducia et oratione, resignatione, nullam concipientes in Christum quasi ob neglectum fratrem impatientiam aut amaritudinem.

Punctum II.

Fides exigitur.

I. *Christus resurrectio et vita.*

Considera *vitae* plenitudinem, qua Filius fruitur cum Patre et Sancto Spiritu, vitae aeternae, infinitae, sanctae, beatae: «In ipso vita erat». — Ipse auctor exstitit omnis vitae angelicae et humanae; considera eius vitae primam excellentiam in natura, gratia et virtute, consummandam in gloria, excel-

lentiam etiam vitae corporeae immortalis in paradiso: «Deus mortem non fecit.» — Perpende peccatum, tam in angelis quam in hominibus, esse mortem spiritualem, per quam deinde mors quoque corporum in hunc mundum intraverit (Rom 5, 12), et considera per tot saecula, a creatione usque ad redemptionem, vitae cum morte colluctationem. — Tandem incarnatur filius Dei; iam «in ipso vita erat», plenitudo vitae verae, plenitudo scil. divinitatis, omnis gratiae et virtutis, aliquando consummanda plenitudine gloriae. Finis autem incarnationis est reddere homines participes plenitudinis vitae, in terra et in caelo, omni gratia, virtute et glorificatione. — Modus nostrae vivificationis a Deo statutus is fuit, ut vita cum morte contenderet suaque morte cunctos restitueret vitae; hinc Christus non solum vita est, sed etiam *resurrectio,* resurrecturus ipse a mortuis ex plenitudine vitae in se conclusae, promeriturus durante sua vita et effecturus die praestituto nostram quoque resurrectionem; virtutem tamen suscitationis continuo in se continet et in certis quibusdam casibus ex Patris placito exserit.

II. *Fides condicio vitae.*

«Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Credis hoc?» Fides (viva utique) est

condicio vitae et resurrectionis participandae unica, cum aliam Christus non requirat; necessaria, cui Christus omnino insistat; sufficiens, qua vel ipsa superetur mors; universalis, qua vitae verae bona quaelibet et quantalibet procurentur, gloria Dei latissimo sensu: «Si credideris, videbis gloriam Dei.» — Contemplare eam fidem in Martha et Maria per nuntium ad Christum absentem recurrentibus, venienti occurrentibus atque dicentibus: «Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.» Martha vero specialem addit fidei professionem: «Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus, filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.»

Punctum III.

Lazarus suscitatur.

I. *Iesus lacrimatur*

ob lugendam condicionem, in qua dilectas reperit personas, Lazarum mortuum, sorores cum amicis tristitia oppressas; ob praeteritos earundem personarum dolores. Quas lacrimas merito Iudaei eius in eas personas amori attribuunt: «Ecce quomodo amabat eum.» Collige, fac, lacrimas omnes, quas vagiens in praesepio, flens super Hierusalem, orans in horto (Hebr 5, 7) tota vita pro nobis tamquam crucis primitias redemptor fudit.

II. *Iesus orat.*

Ea oratione exprimit gratum, quod fuerit exauditus, animum: «Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.» Quod supponit priorem illam Iesu orationem, qua petierat evidentem suae missionis et doctrinae confirmationem per illustre Lazari resuscitandi miraculum. Eius rursum confirmationis finis intendebatur, «ut credant, quia tu me misisti»; *fidem* cupit Christus in animis stabiliri et augeri. Cuius porro ratio est fidem esse condicionem *vitae verae*, Christum vero id unum percupere, «ut vitam habeant et abundantius habeant». Vide, quam ardenter Christus desideret tibi communicare vitam, quam intime hac in re cum Patre conspiret, quomodo ad eum finem vel Lazari mortem sororumque dolorem propriasque lacrimas admiserit, fusurus ad eundem finem sanguinem et vitam.

III. *Iesus iubet.*

1. *Quis iubet?* — Qui lucem vocaverat de tenebris, qui praeceperat ventis et mari, qui suavi voce peccatorum veniam Magdalenae indixerat, qui vel silentio compescuerat mare panesque multiplicaverat.

2. *Quomodo iubet?* — «Voce magna» ab omnibus late exaudienda, quae voluntatis

simul firmitatem et effectus secuturi magnitudinem exprimeret; verbis usus non precatoriis, sed imperativis, vitae mortisque potestatem exprimentibus.

3. *Quid iubet?* — Iubet quatriduo defunctum ilico et plene redire ad vitam; quo facto comprobat divinam suam missionem et dignitatem, doctrinae quoque veritatem, etiam quatenus ea humilitatem et crucem describit vitae verae condicionem; demonstrat se esse resurrectionem et vitam; demonstrat necessitatem generosae fidei. Adverte, quantam hoc miraculum procuret «gloriam» Deo, pacem hominibus bonae voluntatis.

De coena in Bethania.

(Mt 26, 6—13.)

Primo. *Dominus coenat in domo Simonis leprosi simul cum Lazaro.*

Secundo. *Effundit Maria unguentum super caput Christi.*

Tertio. Murmurat *Iudas dicens:* «*Ut quid perditio haec unguenti?*» *Sed ille* excusat denuo Magdalenam *dicens:* «*Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.*»

Cf. Mc 14, 3—9; Io 12, 1—11. Lazari, Mariae, Iudae nomina solus habet Ioannes. — Io: «fecerunt ei coenam». — Mt 26, 7 et Mc 14, 3 solum «caput» commemorant, dum Io 12, 3 «pedes» et Mt 26, 12 cum Mc 14, 8 «corpus» habent. Fuit sane unctio capitis pariter et pedum. — Vox «denuo» respicit mysterium conversionis Magdalenae.

Nobis haec contemplatio visa est habere specialem cum binariis affinitatem, quibus ad generosum in electione animum provocamur. Habemus praeter Christum personas quattuor: Simonem, Lazarum, Martham, Mariam, Christi sequelae totis animis addictas; habemus Iudam, animam tepidam et vilem.

Punctum I.

Christus coenat.

I. *Iesus*,

filius Dei, resurrectio et vita, desiderio consumitur vitae communicandae pro ratione dispositionis singulorum; dolet ostensionem «gloriae Dei» (Io 11, 40) in Lazari suscitatione plurimis factam esse scandalum; simul tamen gaudet de societate et fide eorum, quibuscum huic coenae accumbit; singulos amabilitate sibi devincit, verbis instruit, interna gratia illuminat atque inflammat.

II. *Simon,*

Iesu discipulus generosus, cordatus; audiens Iesum ab inimicis conquiri (Io 11, 56), eum ad coenam invitat, ita vivissimae fidei professionem faciens; audiens Lazarum quoque persecutioni obnoxium esse (Io 12, 10), et ipsum invitat; eaque omnia agit ita publice, ut plurimis innotuerint (Io 12, 9).

III. *Lazarus.*

Prior eius fides, caritas, resignatio resuscitationis beneficio mirifice fuerant auctae; affluentes ad se Iudaeos (Io 12, 9) non declinat, sed excipit et edocet, non sine propriae vitae periculo (Io 12, 10); ad Simonis coenam fidei profitendae causa generosus palam accedit.

IV. *Martha.*

Eius quoque fides et caritas suscitationis miraculo mire fuerant auctae; ipsa nobilis femina cum sit, fidei profitendae causa ancillae partes suscipit, et quidem in domo aliena. Cor Iesu exsultat, fruens societate personarum tam generosarum.

Punctum II.

Maria ungit.

I. *Mariae sensus.*

Viva fides, sentit quippe cum sorore: «Ego credidi, quia tu es Christus, filius Dei

vivi.» — Caritas ardens: «dilexit multum» adhuc peccatrix, diligit iam multo ferventius post tot acceptos favores. — Vehemens desiderium Christo pro peccatis praeteritis alicuius insignioris compensationis offerendae. — Plenitudo pacis et gaudii. Adverte, quomodo omnes hi Mariae affectus inde a conversione maturuerint: firmiores sunt et nobiliores, simul pacatiores.

II. *Mariae actus.*

Salvatorem ungit, qua ratione hospites honeste excipiendi ungi consueverant. Immo id facit extraordinaria omnino reverentia et devotione, quae apparet in nobilitate unguenti adhibiti («nardi pistici pretiosi») eiusque abundantia («effudit»), in unctione non capitis solum, sed postea etiam pedum, in unctione propriis nobilis feminae manibus peracta et capillis abstergendis pedibus applicatis, in eo tandem, quod totum illud obsequium publice redderetur coram accumbentibus, mox sciendum ab omnibus neque periculo vacaturum. In quibus omnibus confer quietem et decorem maturioris virtutis: non impetu novicio abripitur Maria, uti pridem, quando revocabatur peccatrix. Cordis Iesu sensus perpende societate fruentis mulieris tam generosae.

Punctum III.

Iudas secedit.

I. *Iudas obmurmurat.*

Recole gratias pridem ei inter dilectos Christi discipulos collatas. Nunc in eam iam abiectionem devenit, ut careat caritate: Iesu quippe amor sensim in indifferentiam transiit, animum occupante appetitu pecuniae. Caret fide: profitetur utique Iesum esse «iustum» (Mt 27, 4), continuo percipit argumenta eius omniscientiae et omnipotentiae; sed haec omni iam practica destituuntur efficacia. Iesum reum dicit admissae profusionis, et cum illo Magdalenam, cuius fidem iuste aestimare non iam valet; ab interna murmuratione, ultra quam in priori mysterio Pharisaeus non fuerat progressus, ad externam vituperationem gressum facit Iudas; praesumit, sicut alios, ita ipsum Iesum praetexta in pauperes sollicitudine decipere (Io 12, 6). Quibus indulgens scandalo reliquis est, eos ad murmurandum suo exemplo inducit (Mt 26, 8), — exemplar factus animae non generosae.

II. *Iudas corrigitur.*

Considera in corde Iesu perseverantem errantis apostoli amorem, intimum dolorem, gratiam constanter oblatam. Sed necessaria

ob Iudae imminens salutis discrimen aliorumque scandalum publica correctio. Quam ei dat Iesus claram, dum enim «bonum opus» a Maria peractum esse proclamat, immerito eandem a Iuda carpi pronuntiat; at simul mansuetam: «Quid molesti estis? — Sinite eam.» Mitigat correctionem demonstrans suam imminere mortem, quo et apostoli mentem emolliat et magis etiam excuset profusum unguentum.

III. *Iudas obduratur.*

Ipsa tam mansueta correctio ansam viro praebet consummandae proditionis. Correctionem Iudas iniuriam reputat, cuius sibi ulciscendae sit ius; praescius se iam in Iesu societate tolerari diutius haud posse, fortasse expulsum iri, sibi ius vindicat prior servatorem deserendi; «perditionem» unguenti suum damnum reputans, ius sibi arrogat procurandae compensationis; hinc Pharisaeorum sollicitatione Io 11, 56 ad suum privatum lucrum uti decernit, divendito illis servatore. Considera Iesu maerorem in immensum auctum, cum apostolum cernat ita excidisse vita vera.

Dominica palmarum.

(Mt 21, 1—17.)

Primo. *Dominus mittit discipulos, ut adducant asinam et pullum, dicens: «Solvite et adducite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet; et confestim dimittet eos.»*

Secundo. *Conscendit asinam coopertam vestimentis apostolorum.*

Tertio. *Exeunt ad excipiendum illum, sternentes in via vestimenta sua et ramos arborum, et dicentes: «Hosanna filio David. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in altissimis.»*

Cf. Mc 11, 1—11; Lc 19, 29—38; Io 12, 12—18. — Loco «exeunt ad excipiendum illum», Io 12, 13 et 18: «processerunt obviam ei», «obviam venit ei turba».

Primum punctum ingressus praeparationem apostolorum ministerio factam, secundum Christi ac tertium multitudinis acta refert. Quod si in altero puncto inquiras, quare Christus iumentum conscendat, ilico respondebit Mt 21, 4 sq: «Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Dicite filiae Sion:

Ecce *rex* tuus venit tibi *mansuetus*»; pro qua voce in Vulgata Zach 9, 9 legitur «*pauper*», et hebraica vox utramque significationem complectitur: pauper, mansuetus, pacificus, i. e. *pauper et humilis*. Hinc sensum mysterii ita definire licebit, ut sit *ingressus Christi regis, insignibus paupertatis et humilitatis adornati*. Finis huius ingressus *pax* est, ut intelligitur cum per se, tum ex Christi asseveratione Lc 19, 42: «Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi!»

Patet igitur huius exercitii cum regni Christi et vexillorum meditationibus conexio. Nota tamen, quod alias monuimus, in mysteriis singulis contineri meditationes non iam plene evolutas, sed veluti in germine et per partes. Sic in meditando Christi ingressu paupertatem et humilitatem utique expressam invenies, non vero amorem humiliationum; et ipsam humilitatem non tam quatenus opprobria, sed quatenus mansuetudinem affectat; opprobria in passionis contemplatione supplenda reservantur. Discimus igitur in nostro mysterio aliquid consilii Christi, non vero totum consilium.

Cum tertia etiam hebdomada idem mysterium conectitur, in cuius potissimum fine Christus constanter proponitur ut rex, et

cuius decursu iugiter elucęt paupertas et humilitas, ibidem usque ad apicem tertii gradus perducenda. Media veluti inter utramque hebdomadam proposita nobis haec contemplatio prioris hebdomadae doctrinam brevi formula resumit, sequentis praeparat.

Punctum I.

Ingressus paratur.

I. *Ss. Trinitas* ab aeterno decrevit, ut Christus, magisterio publico ad finem vergente, ingrederetur Hierusalem eo modo, qui et regiam eius dignitatem et regni indolem exprimeret. Hoc decretum ante per *prophetam* promulgavit.

II. *Christus* oboediens hoc decretum ratum habet atque exsequendum aggreditur. Iubet discipulos pro auctoritate asinam et pullum adducere, non rogato possessore, fortasse ne is in invidiam incidat Pharisaeorum. Agit ut propheta: «et confestim dimittet eos».

III. Decretum est etiam a Ss. Trinitate, ut Christus *recipiatur* ut rex, id ipse postulat iure suo.

IV. *Hierusalem* desiderat omnino suum Messiam regem, at illum opibus et pompa

insignem; quae exspectatio procedit ab affectione divitiarum et honorum a Lucifero animis instillata, quo mentes offuscentur ad Christum Messiam repudiandum. Christus vero suam paupertatem et humilitatem constituit condicionem, qua acceptata aut repudiata Hierusalem aut vitam habeat aut repudietur. Vide, lex illa crucis quam sit *necessaria*, cum sit condicio necessaria salutis.

Punctum II.

Christus ingreditur.

I. *Persona ingrediens.*

Zach 9, 9: «Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator.» Recole titulos regiae Christi dignitatis, eius dotes et amabilitatem. Recole regni ambitum omnes homines complectentem, externa atque interna; regni memorare provincias: terram, purgatorium, caelum; regni item naturam, ut sit regnum potissimum spirituale, incohandum in terra, consummandum in caelo. In caelo vestietur rex gloria, ingreditur vestitus sine gloria «iustitia», subditis collaturus salutem; cuius pars negativa est redemptio a peccato, pars positiva vita et pax.

II. *Modus ingrediendi.*

1. Zach 9, 9: «Ipse pauper (humilis) et ascendens super asinam et super pullum filium asinae.» Ipsa ingressus ratio *regem* demonstrat, est enim ingressus regius et triumphalis. Regni *indolem* pandit: siquidem iumenti genus («asina») sessoris mansuetudinem potius indicat quam maiestatem; estque illud non proprium aut conductum, sed commodatum, paupertatis insigne magis quam pompae. Pro stratis pretiosis imponuntur iumento *vestimenta* apostolorum aspera et trita. Habitus regis et comitum eius *pauper*.

2. Hic ingrediendi modus exprimit salutis condicionem; «Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.» Exprimit *legem regni:* dilectionem Dei cum necessario complemento indifferentiae. Hanc etiam legem decrevit Deus, hanc exigit Christus: qui hanc non recipiunt, non sunt Christi.

Punctum III.

Ingrediens recipitur.

I. Considera multos Iesum qua par erat ratione non recepisse.

Iudas simulans inter iubilantes discipulos incedit; Pharisaei «indignati» (Mt 21, 15) magis etiam redduntur infensi (Io 12, 19);

alii multi visis tot miraculis credere adhuc detrectant (Io 12, 29—41); «ex principibus multi», diligentes «gloriam hominum magis quam gloriam Dei» (Io 12, 42 sq), fidem simulant. Quibus omnibus ratio scandali erat Christi paupertas et humilitas. Perpende, quam stulte hi omnes tantum regem ob talem praetextum recusent.

II. Considera alios multos Iesum recepisse.

Miraculo suscitationis Lazari (Io 12, 17 sq) Iesum esse Messiam edocti, renuntiant praeiudiciis contra paupertatem et humilitatem Iesu conceptis; humilem pauperemque Iesum Messiam regem suscipiunt suamque in illum fidem profitentur actu, signo, verbo: «exeunt . . . sternentes . . . dicentes». Non exspectant, donec ipse urbem ingrediatur: exeunt. Inusitata plane honoris significatione (cf. 4 Rg 9, 13) salutant. Agnoscunt «filium David», i. e. Messiam. Bona omnia illi apprecantur a Deo. Profecto «insignes se exhibent» in eius obsequio. Atque haec agunt tota contuente urbe, adstantibus et frementibus Pharisaeis, a porta urbis usque intra ipsum templum.

III. Nos quoque Iesu iungi oportet.

Nos quoque obviam eamus Christo, nos nostraque omnia («vestimenta») eius servitio

et placito resignemus, eius comitatui iungamur in via, imitemur ornatum; hac via, hoc ornatu tam longe atque ipse procedamus, in mediam scil. mundi urbem summumque Calvariae montem; persuasum habeamus nos ita incedere «in nomine Domini» atque procuraturos esse gloriam Deo et pacem hominibus. Tamquam *spirituales cruciati*, Christi habitum et vestitum induti, sanctam intremus civitatem Hierusalem.

Renovetur in fine exercitii oblatio meditationis de regno Christi.

De praedicatione in templo.

(Lc 19, 47.)

Primo. *Erat cotidie docens in templo.*

Secundo. Finita praedicatione, quia non erat qui eum exciperet Hierosolymis, *redibat in Bethaniam.*

Cf. Lc 21, 37; Mt 21, 17. — Verba: «erat cotidie docens in templo», animum revocant ad similia verba Lc 22, 53: «Cum cotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me; sed haec est hora vestra et potestas tenebrarum.» Agitur ergo in hoc mysterio de ea hora, quae *nondum*

erat inimicorum, de crepusculo ante tenebras; producitur Iesus adhuc suam divinitatem manifestans, nondum adversariorum odio permissus, quod nondum velit permitti. Mysterium hoc, uti praecedentia duo, traducit meditantem a secunda ad tertiam hebdomadam. — Vox «cotidie» perseverantiam ingrati laboris exprimit.

Punctum I.

Iesus docet in templo.

I. *Ubi docet?*

In templo a David designato, a Salomone aedificato, a Zorobabele reaedificato, in quo constanter tot manifestationes gratiae divinae obtinuerant; ubi salvator infans se victimam stiterat et vitam immolationis aggressus fuerat; ubi, demortuis iam Simeone, Anna et doctoribus, quos duodecim annorum puer ibidem convenerat, nunc scribae et Pharisaei cathedram Moysi profanant; quod effectum est «spelunca latronum» ob constantem vendentium profanationem etc.

II. *Quis docet?*

Ille, qui est lumen veritatis et vita gratiae; cuius verba sunt veritas et vita; cuius cor auditores ardentissimae caritatis affectu complectitur; cuius verbis efficacia accedit ex

interna gratiae operatione in cordibus audientium; quae tamen efficacia pendet a libera cooperatione voluntatum creatarum.

III. *Quos docet?*

Apostolos, vitae et veritati iam acquisitos, sed in veritate adhuc incertos, in vita infirmos; inter quos Iudas, sedens in tenebris et in umbra mortis; — populum, qui minus etiam quam apostoli participat de veritate et vita; qui eum prophetam habet (Mt 21, 46), sed filium Dei non agnoscit; qui eum attentione et admiratione prosequitur (Mt 22, 33. Mc 11, 18. Lc 19, 48), sed ad integram devotionem non assurgit; et alii quidem ex ignorantia inculpabili, alii ex ignorantia culpabili, ex respectu humano, ex affectionibus humanis; — Pharisaeos et sacerdotes, vitae et veritati deliberate resistentes, captiosis quaestionibus insidiantes veritati, coniurantes contra vitam.

IV. *Quid docet?*

De «regno caelorum» in variis parabolis; de iudicio iis imminente, qui credere renuant.

V. *Qua perseverantia docet?* «*Cotidie*» idque ad noctem usque (Lc 21, 37), ergo

magna constantia et pari semper patientia, instantia, zelo; — quin se decipi patiatur

vanis apostolorum protestationibus, sterili admiratione populi aut ementita adversariorum et Iudae reverentia; — quin se deterreri patiatur circumfusa caligine spirituali aut praevisa partiali sterilitate praedicationis suae.

Punctum II.

Iesus Bethaniam se recipit.

I. «*Finita praedicatione.*»

1. *Pharisaei* ardent ira et odio, fremunt in eum aspectibus, verbis, secretis machinationibus; tamen non extendunt in eum manus (cf. Lc 22, 53), non quod malitia deficiat, sed quia nondum venit hora eius a Patre praestituta.

2. *Populus* maiorem etiam verbis et signis manifestat reverentiam et admirationem; tamen nemo extendit ad eum manum amice, «non erat, qui eum exciperet Hierosolymis» ob metum Pharisaeorum: nemo eorum, qui interius fuerant commoti, vel qui ipsi urbem intranti acclamaverant, vel qui ipsius beneficia experti fuerant.

3. Idque fiebat «*cotidie*», incipiendo ab ipso triumphalis ingressus die (Mc 11, 11).

II. «*Hierosolymis redibat.*»

Revertebatur tota via triumphali, in qua lapis quilibet et bivium quodvis eum incon-

stantiae favoris popularis commonefaciebat; contemplabatur urbem (cf. Lc 19, 41) tot gratiis cumulatam, tam severo iudicio reservatam; transibat prope ficulneam arefactam, imaginem populi sui electi; memoria repetebat priora itinera hierosolymitana omnia, incipiens a praesentatione, eorumque exiguum pensabat fructum; idque «*cotidie*», incipiendo ab ipso triumphalis ingressus die.

III. «*In Bethaniam.*»

1. Ibi cuncti manus extendunt, Lazarus et Simon ut eum hospitio excipiant, Martha ut ei inserviat, Maria ut illum peculiaris amoris significationibus honoret, Iudas ut illum tradat. Cor Iesu vicissim expanditur ad ignoscendum Iudae, ad alios gratiis cumulandos. Introspice coenam, quae «*cotidie*» diem claudit Bethaniae.

2. Post coenam Iesus in aliquam montis Oliveti partem secedit (Lc 21, 37; cf. 22, 39), in oratione quaerens robur ad continuandam praedicationem; in ipsa iam oratione praescit immediato fructu carituram esse praedicationem proxime sequentem; in oratione se confortat intuitu voluntatis Patris, nostrae eruditionis, utilitatis a quibusdam saltem audientium post Spiritus Sancti adventum ex hac sua praedicatione percipiendae. Qua oratione confortatus brevique somno refectus

mane revertitur ad praedicationem; idque «*cotidie*», incipiendo ab ipso triumphalem ingressum consequente die.

De coena ultima.

(Mt c. 26. Io 13, 1 sqq.)

Primo. *Comedit agnum paschalem cum suis duodecim apostolis,* quibus praedixit mortem suam: «*Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.*»

Secundo. *Lavit pedes discipulorum suorum,* etiam Iudae, incipiens *a S. Petro,* qui, considerans maiestatem Domini et suam propriam vilitatem, nolens consentire *dicebat:* «*Domine, tu mihi lavas pedes?*» Sed S. Petrus nesciebat, eum in hoc praebere exemplum humilitatis, et ideo *Iesus dixit:* «*Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.*»

Tertio. Instituit sanctissimum sacrificium Eucharistiae in maximum signum sui amoris, *dicens:* «*Accipite et comedite.*» *Finita coena Iudas exit ad vendendum Christum Dominum nostrum.*

Cf. Mc 14, 12—25 et Lc 22, 7—38. — Sanctus Pater citat initium Io c. 13; in quantum etiam sermo, quem habuit Christus post coenam, ad exercitium pertinet (vide praeamb. 1), citandum erat c. 13—17. In primo et tertio puncto sequitur sanctus Pater evangelistam S. Matthaeum; secundum punctum et Iudae egressus sunt ex S. Ioanne. — «Nesciebat» — Io 13, 12: «Scitis, quid fecerim vobis?»

Tertiae et quartae hebdomadae contemplationes electioni peractae *firmandae* potissimum inserviunt. Illa perfectae Christi sequelae condicionem, tertium humilitatis gradum, haec sequelae praemium vividissime ponit ob oculos; unde intimus perspicitur cum regno Christi nexus. Hic igitur iam Christum conspicimus «in omnibus iniuriis et omni vituperio et omni paupertate» constitutum; hic quo contentos nos esse oporteat cibo, potu, vestitu docemur. Immo, ne quicquam nos aerumnarum Christi hoc loco praetereat, sexta a sancto Patre additione iubemur trahere in memoriam frequenter «aerumnas, labores et dolores Christi Domini nostri, quos pertulit a puncto, quo natus est, usque ad mysterium passionis, in quo nunc versor».

Porro ad tertium gradum nos manuducit ea materia, quam sanctus Pater in singulis

mysteriis perpendendam sex punctis explicat, ut scil. praeter personas, verba et operationes alia tria nobis ruminanda proponat: primum «ea, quae Christus Dominus noster patitur in humanitate vel pati vult»; dein «quomodo divinitas se abscondit . . . et sinit pati sacratissimam humanitatem tam crudelissime»; tandem «quomodo haec omnia patitur pro peccatis meis». Consideratio eorum quae Christus patitur cruciatuum et opprobriorum animam, constanti per secundam hebdomadam desiderio inflammatam, Christum non solum cognoscendi et amandi, sed etiam imitandi, efficaciter utique provocat ad illum sequendum in omni opprobrio etc. Qui fructus augetur altera consideratione, quomodo Christus ea omnia volenter sit passus; iam enim illum imitantes non externe solum, sed etiam interne illi conformamur. Magis adhuc augetur tertia consideratione, Christum haec omnia pati propter ipsum contemplantem, et quidem proxime pro eius peccatis; sed non pro illis solis, apponitur quippe hoc loco in litterali versione «etc.», quod intelligere licebit de emolumentis *positivis* nobis Christi passione conferendis, et speciatim de vita vera, quae nobis per ecclesiam et sacramenta, ex Christi sanguine derivata, communicatur. Quae consideratio motivo puri amoris prioribus considerationibus

excitato superaddit duplex motivum gratitudinis et confusionis.

Dictis respondent tertia praeludia: pro coena, «petere *dolorem*, afflictionem et *confusionem*»; pro sequentibus mysteriis, «petere dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto, lacrimas, poenam internam» Cf. additionem secundam: «adnitar ad tristandum et dolendum de tanto dolore et de tanta poena Christi Domini nostri»; et sextam: «inducendo me ipsum ad dolorem et ad poenam» etc. Qui duo sensus doloris et confusionis iidem plane sunt, qui in exercitiis de peccatis eliciendi suggerebantur. Quin immo, sicuti ibi ex confusionis sensu prorumpebat quaestio: «quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo», ita nunc ex consideratione, Christum pro meis pati peccatis etc., eadem haec quaestio exsurgit: «Quid debeo ego facere et *pati* pro illo?» Illi vero sensus in animo, tota secunda hebdomada continuo amore Christi eiusque imitandi desiderio inspirato, alium affectum primarium excitare non possunt nisi firmam voluntatem sui ipsius in ferendis opprobriis etc. Christo conformandi. Illa quaestio aliam non patitur responsionem nisi tertii gradus propositum.

Hinc rursum efficitur id maxime S. Ignatium in proponendis passionis mysteriis intendere, ut *omnem* Christi paupertatem, *omnes* eius iniurias et vituperia pervolvamus. Quare nullam passionis partem praetermittit praeter Iudae interitum, in quo contemplando minus directe Christus patiens menti obicitur. Indidem consequitur mysteriorum apparens aliqua, sed solum apparens, monotonia: unus nobis tertii gradus affectus repetitis veluti mallei ictibus inculcatur.

Primi mysterii peculiare momentum iis tertii praeludii vocibus exprimi arbitramur: «petere dolorem etc., eo quod ob mea peccata Dominus *eat* ad passionem». Est ergo illud *contemplatio euntis ad passionem Domini*, contemplatio profectionis seu praeparationis ad passionem, valedictionis ab iis, quae prius fuerant assueta. Est coena vere «ultima». Comestio agni paschalis rationem habet epuli viatici, lotio pedum instructionis supremae, Ss. Eucharistiae institutio doni memorialis.

Punctum I.

Christus comedit agnum paschalem.

I. *Iter ad locum coenae.*

Tempus.

Pascha maximum tot paschatibus praefiguratum, quo Iesus propter peccata mea

tamquam agnus erit immolandus, ut Dominus mihi parcat peccatori; pro Iesu non dabitur «transitus calicis» seu Phase; — «*hora et potestas tenebrarum*», quo tempore ipse tenebrarum odio et crudelitati permittetur, ut ego ab illis eximar; — «*hora eius*» (Io 13, 1), «*tempus meum*» (Mt 26, 18), i. e. tempus passionis et mortis, a Patre ob mea peccata praedefinitum, a Filio in incarnatione acceptatum, in praesentatione, in baptismo etc.

Terminus.

«*A Bethania*», ubi degebant asseclae ei tam devoti, ubi cum illis et dilectis suis discipulis cotidie «dulces capiebat cibos»; — «*in Hierusalem*» Babylon effectam, civitatem confusionis et tenebrarum, habitaculum ferarum crudelium.

Iter.

Voce «*Ite*» Mt 26, 18 Iesus hoc iter integro voluntatis nisu generose amplectitur; utitur omniscientia ad locum coenae, qui proximus est gressus ad passionem, praeparandum; adhibet duorum selectorum apostolorum ministerium, Petri futuri capitis ecclesiae, et Ioannis discipuli prae ceteris dilecti, ipsis praebens insignem occasionem mysterii passionis penetrandi.

II. *Coena paschalis.*

Comedens agnum Christus

animo repetit omnes gratias populo electo, intuitu sui, qui verus futurus erat agnus Dei, inde ab exodo aegyptiaca collatas, easdemque hominum culpa effectu fere frustratas; repetit sortem sibi ipsi ob eadem peccata reservatam et per hunc agnum praefiguratam; repetit multiplicem neglectum a se agno eucharistico in suis quondam templis perferendum.

Bibens calicem (Lc 22, 17), unionis symbolum, Christus

animo repetit priores coenas paschales, speciatim quas cum Maria et Ioseph celebraverat; item constantem novissimo triennio cum suis apostolis et devotis personis convictum, nominatim coenas Bethaniae habitas.

Inter haec omnia perpendit,

1. haec cuncta iam finem habere hancque esse coenam *ultimam;* Lc 22, 16 18: «Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. . . . Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.»

2. Perpendit hanc esse coenam, qua valedicendum sit discipulis praevie ad separationem violentam; quam ob rem ardentissimo

cordis sui desiderio ante cupierat hac coena postremum omnes suos secum adunare discipulos; Lc 22, 15: «Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.» Simul

3. torquetur conscientia, se cum uno dilectorum suorum discipulorum hac coena utique supremum amice versari, tota inde aeternitate eodem cariturum. Cuius proditionis attende *foeditatem:* «Unus *vestrum*», «qui intingit mecum manum in paropside» (Mt 26, 21 23); *atrocitatem,* quippe quam filius Dei repetito affirmet iuramento: «Amen, amen dico vobis» (Io 13, 21); *perniciem,* cum discipulo post trium annorum institutionem illud sui profectus testimonium sit tribuendum: «Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.»

Punctum II.

Christus lavat discipulorum pedes.

I. *Quando lavat?*

Io 13, 1 sq: «Sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem»; ergo suprema et quasi pro testamento traditur instructio. — «Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos»; ergo impellente ardentissima caritate loquitur; non superflua aut minus necessaria, sed

quae revera summi sunt momenti suprema instructione inculcat. — «Coena facta», et inde corde saturato tristitia ob imminentem a suis separationem; «cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae», ergo hac tam atroci ingratitudine a pio proposito nequaquam retardatur.

II. *Quid agit?*

Vult suis dare supremam et hinc utique maxime omnium necessariam *instructionem.* Vult eam dare eo qui profundius mentibus inhaereat modo, non verbis solum, sed potissimum *exemplo:* «Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.» Vult autem dare exemplum *humilitatis,* quam primam omnium virtutem nos incarnatione docuerat, quam rursum tot inculcaverat mysteriis, confirmandam denique abiectissima crucis humiliatione. Est ea totius salutis fundamentum, Lucifero perquam exosa, cordis redemptoris praecipuum ornamentum. Exemplum autem humilitatis dat insigni *actu humiliationis,* quod ii actus sint via secura ad acquirendum habitum humilitatis. Seligit igitur «*officium abiectum et humile*» (Reg. Summ. 13), quod non animam spectet, sed corporis nitorem, non caput, sed pedes, quod servis deputari consueverat. Ad illud implendum «surgit

a coena», quos ultimos fere gressus fuisse attendas, quos sanctissimi servatoris pedes vinculis soluti susceperunt; «ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, praecinxit se; deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum et extergere linteo, quo erat praecinctus». Ultimae fere actiones hae fuere, quas, antequam vincirentur et cruci affigerentur, manus salvatoris peregerunt. Ea autem peragit *ipse,* qui Io 13, 3 «a Deo exivit», ergo Deus de Deo, «et ad Deum vadit», mox super omnes angelos glorificandus, cuique «omnia dedit Pater in manus», servator, magister, rex universi generis humani.

III. *Quibus lavat?*

Exemplum dat humilitatis servandae *inter pares*; docet quippe apostolos id, quod ipsi debeant praestare «alter alteri» (v. 14), apostoli autem universim sunt pares inter se. Quibus dat exemplum a fortiori: «Si ergo ego lavi pedes vestros, dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes.» — Exemplum dat humilitatis servandae *erga pares etiam malos.* Lavit Iudae pedes, qui apostolica dignitate ceteris erat par: debent et ceteri lavare Iudae pedes. — Exemplum dat humilitatis servandae *erga superiores,* licet fortasse minus perfectos, qualis erat Petrus,

qui constitutus fuerat caput ceterorum, sed praesciebatur defecturus. — Exemplum dat humilitatis servandae *erga inferiores*, ipsi enim omnes inferiores sunt Christo, qui est dominus et magister.

IV. *Quo successu id agit?*

Eius instructionis tam affectuosae et eloquentis successus proximus fuit perquam tenuis, cor Iesu opprimens tristitia. S. Petrus «nesciebat» eius instructionis sensum et ignorantiam verbis prodidit. Reliqui plerique etiam nescientes prudenter siluere. Iudas obfirmavit animum. Neque Iesu tristitiam dispellebat praevisus futurus fructus, qui ipse quoque in multis esset defecturus.

Punctum III.

Christus Ss. Eucharistiam instituit.

I. *Consecrat.*

1. Quis consecrat?

Considera extra coenaculum mundum tenebris et umbra mortis obvolutum, Christumque vitam veram exitiali odio persequentem; intra coenaculum circa Iesum Iudam, qui et ipse est tenebrarum et mortis filius, reliquosque discipulos in fide et caritate adhuc tam debiles; in centro Christum vitam veram panemque vitae per suam gratiam et doctrinam.

2. Quid consecrat?

Benedicit et frangit panem, benedicit calicem: simili modo agens, atque in multiplicandis panibus egerat, ergo hic quoque praebens cibum sapidum, saturantem, copiosum. — Verbis: «Hoc est corpus meum», «Hic est calix» etc., constituit substantiam corporis et sanguinis sub speciebus panis et vini, et multiplici modo suam exserit omnipotentiam, sapientiam etc.

II. *Dat.*

1. Quibus dat?

Apostolis suis dilectis: ubi perpendas gratias ipsis inde a vocatione collatas, hac nunc gratia cumulandas; munia, ad quae fuere vocati nunc hoc ipso munere roboranda; speciatim munus hunc cibum continuo reproducendi et dispensandi. — *Etiam Iudae,* cuius recolas gratias, defectionem.

2. Quomodo dat?

Per modum cibi: sub speciebus cibi et potus corporalis cibum spiritualem; sub speciebus divisis cibum indivisum et integrum.

3. Quid dat?

«*Sanctissimum corpus suum*»; corpus illud animae et cum anima divinitati unitum, omni gratia cumulatum, quod datum ipsi et

aptatum fuerat a Patre (Hebr 10, 5); quod dederat beatae Virgini Spiritus Sancti obumbratione concipiendum et efformandum; quod daturus et traditurus erat brevi pro nobis crucifigendum; corpus illud sanctissimum ob specialissimam suam ad divinitatem relationem, ob dona sanctitatis creatae, ob suam respectu nostri sanctificationis efficientiam. — «*Ac sanguinem pretiosum*»; qui principalis esset propagator vitae sensitivae in illo corpore sanctissimo; qui in Ss. Corde principale etiam adminiculum esset vitae spiritualis et supernaturalis; qui, vi unionis hypostaticae et accedente divina acceptatione, sufficiens est ad universum mundum redimendum, atque ad eum finem brevi effundetur.

III. *Instituit.*

1. Institutio ipsa.

Verbis: «Hoc facite in meam commemorationem», tribuit Christus suis apostolis potestatem idem praestandi omni loco et tempore, quod ipse praestitit. Hincque efficit, ut nobis suam continuam largiatur *praesentiam,* ut continuo sit nobis *cibus* vitae supernaturalis, ut indesinens nostrum sit *sacrificium,* incruento modo crucis cruentam immolationem perpetuans.

Hinc instituit Ss. Eucharistiam «in signum maximum sui amoris»: *duratione,* perdurabit

quippe usque ad finem mundi; — *extensione,* obtinebit enim ab ortu solis usque ad occasum; — *significatione,* quod significat amorem sub iis rationibus, quae amoris maxime propriae sunt. Amoris quippe est velle praesentem adesse amato, velle ei utilem esse atque servire, velle pro ipso immolari. Quis autem amans amatis magis praesens redemptore nostro in Ss. Eucharistia? Quis magis eorum servus eo, qui in cibi speciem redactus eos alit? Quae perfectior immolatio ea, quae non uno loco paucisve horis, sed semper et ubique peragitur? — Est tandem illud amoris signum etiam maximum *efficacia,* dans gloriam Deo maximam in excelsis eumque continuo placans, dans pacem in terra bonae voluntatis hominibus iisque continuo dans vitam veram fructusque passionis applicans.

2. Institutionis conclusio.

a) *Iudas.* Iam antea «introiverat in eum satanas», ipsae tenebrae ipsaque mors facta sunt eius veluti lux et vita. «Exiit» corpore de coenaculo, voluntate de familia apostolorum; «exiit» discipulus tantopere dilectus, ad tanta munia vocatus, «ad vendendum» triginta argenteorum pretio «Christum Dominum», veritatem et vitam. — «Erat autem nox» (Io 13, 30). Considera noctem naturalem coenaculo circumfusam; noctem spiri-

tualem animam proditoris obvolventem, noctem tristitiae animam salvatoris opprimentem.

b) *Christus* sermone concludit. Apostolis, futuris ministris vitae, eloquitur principia fundamentalia vitae verae: «Haec est vita aeterna» etc. (Io 17, 3). Commendat unionem secum: «Ego sum vitis vera, vos palmites»; unionem mutuam: «Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos»; consequentem unionem cum Deo: «Ego in iis, et tu in me, ut sint consummati in unum.» Considera, quam pertinenter quantaque unctione Christus, summa ipse tristitia affectus, haec proloquatur.

De mysteriis factis a coena usque ad hortum inclusive.

(Mt c. 26 et Mc c. 14.)

Primo. *Dominus, finita coena et* cantans *hymnum, profectus est ad montem Oliveti cum suis discipulis* metu plenis, *et relinquens octo in Gethsemani, dicens:* «*Sedete hic, donec vadam illuc et orem.*»

Secundo. *Assumptis* comitibus *S. Petro, S. Iacobo et S. Ioanne, oravit ter ad Dominum dicens:* «*Pater mi, si possibile*

est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.» Et existens in agonia orabat prolixius.

Tertio. *In tantum timoris venit, ut diceret: «Tristis est anima mea usque ad mortem», et sudavit sanguinem* tam copiosum, *ut dicat S. Lucas: «Factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.»* Id quod iam supponit vestimenta fuisse plena sanguine.

Christi agonia habetur Lc 22, 43; reliqua primi et secundi puncti ex S. Matthaeo sunt. Item tertium punctum, sed sudor sanguinis ex S. Luca.

Mysterium nobis unum aliquod Christi tormentum proponit, per totam quidem passionem continuandum, sed hoc loco, quod unicum adhuc sit, facilius atque profundius penetrandum: *internum animae Christi cruciatum.* — Verba: «Tristis est anima mea» etc., secundum evangelium in ipso horti ingressu pronuntiata, a sancto Patre nonnisi in tertio puncto recensentur. Sed licet prius fuerint dicta, posterius etiam permanserunt vera, immo veriora crescente Christi angore evaserunt. Afferuntur autem in tertio puncto ad agoniae in anima intensitatem describendam, cuius in corpore signum fuit sudor sanguineus.

Apostolorum mentio in hoc mysterio recurrens animadversionis alicuius ansam praebet. Si tria puncta pro tertia hebdomada, cum duobus pro quarta hebdomada, personarum, verborum et operationum considerationi superaddita, comparentur, protinus intelligitur quartum quartae directe opponi quinto tertiae hebdomadae puncto: «quomodo divinitas, *quae videbatur se abscondere in passione*, apparet et ostendit se» etc.; dum quinto quartae («speculari officium consolandi») analogum nihil in tertiae hebdomadae punctis reperitur. Potest tamen, nec sine fructu, aliqua analogia introduci, ut consideretur in variis passionis mysteriis Christus tam discipulos quam adversarios non quidem consolans, sed docens et admonens. Vere enim istud doctoris officium illi, durante etiam passione, competebat atque multa, quibus illud actu exercuit, in singulis mysteriis recoluntur. Qua consideratione simul et quartae hebdomadae via sternitur, et affectus tristitiae, tertiae hebdomadae proprius, augetur, cum Christo ex adimpleto doctoris officio novi constanter cruciatus animi accesserint.

Punctum I.

Iter ad hortum.

I. Quid Iesus agat.

«*Finita coena*»: non abbreviata coena et subsequente instructione ob tantam animi

tristitiam, neque iisdem prolongatis ob orationis in tanta desolatione taedium et desiderium consolationis ex apostolorum consortio percipiendae; — «*et cantans hymnum*»: nihil remittens de consuetis religionis officiis, pari semper attentione et devotione eadem persolvens; — «*profectus est*» gressu tranquillo, qui mentis deliberationem, eodemque firmo, qui voluntatis exprimeret determinationem; voce et aspectu voluntatis simul determinationem cordisque tristitiam exprimentibus; — «*ad montem Oliveti*» locum consuetae orationis, a qua ne in tanta quidem desolatione desistit; locum ludae notum, ubi dilectus pridem discipulus magistri proditionem suique perditionem completurus esse praescitur; locum, ubi calix a Patre praeordinatus ipsum manet. Quivis gressus generosum illud «ite» repetit atque confirmat, quo iter Bethania Hierusalem ad coenam arripuerat.

II. Quid Iesus sentiat.

1. Omnes iam eius *perfectiones* ad eum cruciandum conspirant: visio divinae essentiae, manifestans intimam peccati foeditatem; visio divinorum decretorum, irrevocabile passionis decretum demonstrans; visio futurorum, revelans omnia et singula tormenta, hominum erga sanctissimam suam passionem

futuram indifferentiam; intuitio cordium, revelans inimicorum malitiam, Iudae proditionem, discipulorum ignaviam.

2. Specialis accedebat tristitia ex opere condendae ecclesiae, cuius lapides angulares futuri erant *apostoli*. Quorum eum comitantium attende *numerum:* «undecim», uno iam infauste amisso; *dispositionem:* «metu plenis», ob praecedentes sibi minime perspicuas proditoris indicationes; ob praedictam (Io 13, 33 sqq; 14, 1 sqq) imminentem a Christo separationem; ob praenuntiatam impendentem passionem (Lc 22, 37); ob praemonstratum mundi odium (Io 15, 18 sqq). Cui metui ipsi non obsistebant vigilantia et oratione (Reg. spir. 6), sed illum inani confidentia exstinguere conabantur, «in aliena domo nidum ponentes» (Reg. spir. 9). — Tandem negationis et desertionis *futurum factum*, ex illa animi dispositione morali necessitate secuturum, inspirato oraculo Zach 13, 7 (cf. Mt 26, 31: «Scriptum est» etc.) praenuntiatum, Iesus veluti in suis causis praesens cernebat.

III. Quid Iesus loquatur.

Quamvis monitionis inefficaciam clarissime praevideat, ab ea tamen apostolis pro suo magistri munere impertienda nequaquam desistit. Distincte enuntiat eum qui ex

eorum segnitie secuturus sit effectum: «Scandalum patiemini in me»; eius effectus universalitatem: «omnes vos»; imminentiam: «in ista nocte»; certitudinem: «scriptum est enim». — Quae tamen ipsa futuri eventus ostensio elicit apostolorum, imprimis S. Petri inanes protestationes, ut Christus iam etiam experimentali scientia discat illud, quod futurorum praescientia et cordium scrutatione ante praenoverat. — Hinc, licet frustra iterari monitionem praesciat, Petrum specialiter monet de imminente non scandalo tantum, sed negatione, eaque trina, ea ipsa nocte complenda; monitionemque sollemni firmat asseveratione: «Amen, dico tibi». Ast ea monitio Petrum immo confidentiorem reddit, aliosque «omnes» in similem pellicit praesumptionem. — Postremo Iesus apostolos ipso suo exemplo ad orationem hortatur: «Sedete hic, donec vadam illuc et orem», rursum praescius eos incassum moneri.

Punctum II.

Oratio in horto.

I. Orationis ingressus.

Volens Iesus saltem tres maxime dilectos apostolos contra imminentem tentationem efficacius praemunire, eos propius «assumit» ad se, suo exemplo cominus instruendos;

instantius illis orationem commendat, licet eam incassum commendari praesciat. Advertе, quomodo ea, quae eum ab oratione distrahere natura sua valeant, usque ad orationis veluti limen eum comitentur. — Ipse vero, utvis filius Dei sit, ast servi formam indutus ideoque orationem faciens, ab oratione se non patitur distrahi, sed «oravit ad Dominum»; locum seligit segregatiorem, «progressus pusillum», «quantum iactus est lapidis»; summa quiete et reverentia in loco orationis adstat, dein genuflectit, manus iungit, oculos modo attollit modo deicit, labia movet.

II. Orationis obiectum.

Versatur ob oculos *calix* furoris Domini «profundus et latus» (Ez 23, 32) et plenus usque ad summum; continens omnes dolores tam animae quam corporis in passione perferendos; omnia totius mundi peccata vicarie suscipienda; omnem futuram hominum ingratitudinem; manu tamen Patris oblatus (Io 18, 11), ab eius sanctitate et iustitia praeparatus, eius voluntate decretus. — Qui calix oblatus in anima redemptoris excitat affectus «tristitiae» seu «maestitiae», «pavoris», «taedii», quia omnia in illo tristia, horrida, appetitui naturali adversa; ex altera tamen parte simul affectum reverentiae erga Patris manum offerentis calicem.

III. Orationis instantia.

Considera illos adversos affectus lenius «coepisse», Christumque illis orationem opposuisse; eosdem, quamvis oraret, continuasse, Christumque in oratione perseverasse orantem ter, et cum prae desolationis ariditate aliam orationem in promptu non haberet, ter «eundem sermonem dicentem»; eosdem constanter increvisse, Christumque pariter auxisse orationis durationem — «prolixius orabat» — et instantiam — «procidit in faciem suam», «cum clamore valido et lacrimis» (Hebr 5, 7); ut tota tandem inferior natura inclamaret: «Transeat a me calix iste: si possibile est, transeat», voluntate eum affectum constanter quasi corrigente: «verumtamen», constanterque se Patris decreto resignante: «non mea, sed tua voluntas fiat».

Punctum III.

Agonia in horto.

I. Discipulorum desidia.

Inter orationem Iesus «*venit ad discipulos suos*», quia discipuli erant ideoque eius curae commissi; quia dilecti, quos praemunire contra imminentem tentationem, quamvis immeritos, exoptet; simul praescit se illos reperturum esse dormientes nec quicquam profecturum

monitione. — «*Et invenit eos dormientes*», gravi sui cordis maerore, et dolet quidem intuitu sui, quod tam exiguam ipse inveniat compassionem, docilitatem, gratitudinem; dolet intuitu ipsorum, quod in tentatione certissime sint succubituri. — «*Et dixit*», verba pronuntians mansuetae reprehensionis: «Sic non potuistis *una* hora vigilare *mecum*?» Rursumque hortatur ad orationem, distinctius rem exprimens: «*Vigilate et orate*», et finem rei inculcat: «*ut non intretis in tentationem*», et rei necessitatem: «*spiritus quidem prompius est*» etc.; hortatur tandem exemplo, ad orationem ipse rediens. — Considera in anima salvatoris, dum vadit ad apostolos, dum eos alloquitur, dum ab iis ad orationem revertitur, sensum omnimodae derelictionis, quod sit derelictus tam a discipulis quam a Patre.

II. Christi agonia.

In anima. Eo devenit, ut dixerit: «Tristis est anima mea usque ad mortem», i. e. tanta est animae meae tristitia, ut ea per se et naturaliter sufficiat ad animam a corpore separandam; quae verba in ipso horti ingressu pronuntiata tanto veriora erant, quando Dominus factus est in agonia. — *In corpore.* Considera factum sudoris sanguinei, quod in paucissimis omnino hominibus atque

nonnisi in statu extremae agoniae obtinuit; considera eiusdem abundantiam ex poris undequaque prorumpentis, vestimenta saturantis, guttatim in terram decurrentis.

Fructus orationis agoniae. «Apparuit autem illi angelus de caelo», a Patre missus, unus ex illis angelis, qui eius nativitatem celebrassent, in deserto post tentationem ministrassent, non inhibiturus sacrificium, uti inhibuerat quondam angelus Abrahae apparens, sed «confortans eum», inferior superiorem. Intellectui inculcabat passionem a Patre reapse esse decretam, confortat enim quodam modo confirmatio veritatis aliunde iam notae; voluntati commendabat calicem, quod daretur a Patre (Io 18, 11) quodque vitam esset daturus mundo; a corpore ne prae agonia anima separaretur prohibebat. Hinc voluntas Christi confortata naturamque inferiorem plene subigens absolute acceptavit calicem: Volo bibere calicem. Iesus firmo gressu tendit ad discipulos, firma voce eos alloquitur: «Surgite, eamus», generosum illud iterans «ite», quod Bethaniae ad passionem profecturus edixerat.

De mysteriis factis ab horto usque ad domum Annae inclusive.

(Mt c. 26. Lc c. 22. Mc c. 14.)

Primo. *Dominus osculandum* se permittit *Iudae, et comprehendi ut latronem a satellitibus, quibus dixit: «Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: cotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.» Et dicente eo: «Quem quaeritis?» ceciderunt in terram* inimici.

Secundo. *S. Petrus vulneravit quendam servum pontificis, cui* mansuetus *Dominus dixit: «Converte gladium tuum in locum suum»: et sanavit vulnus servi.*

Tertio. *Derelictus a suis discipulis* pertrahitur *ad Annam, ubi S. Petrus, qui eum secutus erat a longe, eum negavit semel; et Christo data fuit alapa a ministro dicente illi: «Sic respondes pontifici?»*

S. Ioannes narrat inimicos humi prostratos, Iesum ad Annam perductum ibique percussum; prodit S. Petrum fuisse eum, qui servum vulneravit (18, 4—23). S. Lucas 22, 51 vulnus servi refert esse sanatum. Reliqua ex S. Matthaeo petuntur.

Inter puncta generaliora a sancto Patre pro hac hebdomada assignata etiam illud est: «quomodo *sinit* pati sacratissimam humanitatem»; neque mirum eam nos considerationem specialius percellere in illo mysterio, in quo Christus se manibus inimicorum resignat. Hinc in primo puncto cernitur Dominus «*permittens*» se et osculo salutari a Iuda et comprehendi a satellitibus, simul tamen, doctoris munere fungens, utrosque suae divinitatis commonefacit, Iudam verbis omniscientiae: «Iuda, osculo filium hominis tradis?» — satellites verbis: «Tamquam ad latronem» etc., et miraculosa prostratione. In altero puncto Iesus *non permittit* se defendi mediis humanis, sed solam opponit «mansuetudinem». In tertio tandem coram Anna sistitur. Verba: «Tamquam ad latronem» etc. reapse dicta fuere post comprehensionem et Malchi sanationem; a sancto Patre tamen in primo puncto referuntur, quia tam verbis hisce quam prostrationis facto Christus exhibendus erat instructus potentia ad impediendam comprehensionem eamque nihilominus libere permittens.

In primo secundae contemplationis praeambulo sanctus Pater historiam refert duobus mysteriis correspondentem, a coena ad hortum et ab horto ad Annam. Tamen ea

contemplatio titulum prae se fert eundem atque titulum secundi mysterii: «De rebus gestis a coena ad hortum inclusive»; pro «secunda die» immediate postea subicitur altera contemplatio: «De gestis ab horto usque ad domum Annae inclusive», et in notando post septimam diem sanctus Pater ea duo mysteria diserte affirmat esse «distincta mysteria». Irrepsit ergo mendum in illud praeambulum.

Punctum I.

Christus comprehenditur.

I. «*Osculandum se permittit Iudae.*»

1. Iudas.

Persona. «Unus e duodecim»: gratias recole collatas, ruinam spiritualem, iter ad pontifices susceptum. — Intentionem perpende *prodendi*. iniustam, agitur enim de perdendo innocente; ingratam et ignominiosam, prodit quippe magistrum discipulus, suaeque vafritiae dedecus in ipsum magistrum et dominum refundit, qui hominem tam vilem elegerit, dilexerit; abiectam, pretio scil. prodit triginta argenteorum; crudelem, tradit enim inimicis infensissimis in vincula et in evidens vitae discrimen. — *Verba:* «Ave, Rabbi». Considera, quantum haec verba amica et reve-

rentia dissonent ab interna prodendi intentione. Considera, quantam ignominiam habeant ea verba publice prolata coram testibus intentionis gnaris. Cum hac salutatione nunc prolata eandem confer pridem a Iuda prolatam, quando se discipulum obtulit etc. — *Actio, osculum.* Quod cum natura sua sit *signum* amicitiae, hic procedit ex animo inimico et proditore; est signum satellitibus concessum, Christum demonstrans malefactorem, eosque provocans ad hominem desperatum apprehendendum cauteque ducendum. Est actualis negatio earum Christi perfectionum, quibus amicitia vel maxime innitatur oportet: sanctitatis, cum ipsum malefactorem ministris designet; omniscientiae, cum simulato amore eum decipi posse praetendat; omnipotentiae, cum talem deceptionem impune attentari posse suggerat.

2. Iesus.

Persona. Filius Dei, servator mundi, exhaustus crudeli agonia ideoque intimius etiam persentiens iniuriam et ignominiam sibi illatam; funditus perspicit, sentit et aversatur Iudae proditionem; simul plena fruitur potestate eius ilico confundendi eiusque artium eludendarum. — *Actiones.* Abstinet omni suae omniscientiae et omnipotentiae ad eum finem usu; *permittit* se osculandum, mitis

genam praebet. Cur ita? Quia ea proditio pars est calicis, quem de manu Patris acceptare decrevit; quia libere eligit proditionis huius ignominiam cum tota reliqua passione ferre pro me, ut et ego aliquid perferam pro eo; quia me diligit non verbo neque lingua, sed opere et veritate. — *Verba.* «Amice, ad quid venisti?» seu, quod sensu idem est: «Iuda, osculo filium hominis tradis?» Boni magistri erga Iudam partes explet, eum suae commonefaciens omniscientiae, proditionis malitiam et gravitatem inculcans, ab eadem dehortans, vere benignus atque mansuetus ipse Rabbi.

II. «*Comprehendi se permittit a satellitibus.*»

1. Satellites.

Personae. Missi sunt a pontificibus, ergo missione affectante gravem suspicionem falsae doctrinae et impiissimae fraudis, revera tamen e mera invidia et odio profecta. Missi sunt, ut *comprehendant,* i. e. libertate privent; apparatu utuntur, qui ad comprehendendum malefactorem adhiberi consuevit, eumque astutissimum ideoque noctu opprimendum cauteque ducendum, eundem desperatissimum ideoque nonnisi a pluribus gladiis fustibusque armatis adoriendum. — *Verba.* Altum silentium, ne malefactor rem subodoretur.

2. Iesus.

Persona. Rex filius David, pontifex secundum ordinem Melchisedech, Deus fortis, libertate vel maxime dignus idemque innocentissimus, cui totus ille apparatus sit maxime iniuriosus; sed osculo Iudae dedecoratus, ideoque satellitum aestimatione iam non omni suspicione maior. — *Verba.* Protestatur se non esse latronem fugae studiosum, sed doctorem, qui cotidie sederit in templo: ignominiam quippe tanto apparatu sibi illatam persentiscit. Declarat se non gladiis cedere aut fustibus, sed soli Patris voluntati, qui hanc iis «horam» concesserit. — *Actiones.* Inimicos voce «ego sum» prosternit omnipotens, eosque ut discipulos sine molestia abire patiantur pro auctoritate iubet. Simul comprehendi se permittit, agnum se praebet mansuetum et humilem; idque ob rationes supra recensitas.

Punctum II.

Malchus sanatur.

1. S. Petrus.

Persona. Agitur amore Christi, sed valde imperfecto, cum Petri amor praesumptione et trepidatione vitietur nec assidua firmetur oratione; — hinc Petrus nequaquam sapit Christi spiritum sponte suscipientis calicem seque resignantis tortoribus, sed iudicat

calicem absolute esse repudiandum. — *Verba.* «Domine, si percutimus in gladio?» Init consilium stultum: duobus gladiis suscipiendi certaminis adversus cohortem armatam; propulsandae iniuriae et ignominiae, quae tamen sit pars calicis a Patre oblati. — *Actiones.* Consilium imprudens ineptissime exsequitur unum Malchum nonnisi leviter vulnerans.

II. Iesus.

Persona. Solam opponit «mansuetudinem» tam Petri turbulentiae quam adversariorum violentiae. — *Verba.* Munere fungens magistri declarat se mediis illis humanis renuntiare («Converte gladium tuum» etc.); eadem immo esse superflua, utpote cui praesto adsint legiones angelorum, et numeris et robore tantopere valentes; passionem necessario esse subeundam, cum ea sit calix a Patre datus sitque praedicta in Scripturis; simul enuntiat firmissimam subeundae passionis voluntatem; «Calicem etc., non vis ut bibam illum?» i. e. omnino volo bibere. — *Actiones.* Sanatione Malchi ostendit se omnino libere subire passionem habereque sufficientem, si ita vellet, eius eludendae potentiam. Simul summam manifestat mansuetudinem tam in Malchum adversarium, quem miraculo sanat, quam in S. Petrum, cui eodem miraculo mansuetudinem inculcat.

Punctum III.

Christus coram Anna sistitur.

I. «*Derelictus a discipulis pertrahitur ad Annam.*»

1. Discipuli.

Personae. Post tot accepta beneficia, tot monita, obliti tot protestationum, cum perspiciunt Iesum vim vi nolle repellere, de eius causa, immo de ipso desperant, nihil iam agunt, ne verbum quidem in eius proferunt defensionem, de eo sequendo aut in mortem comitando non cogitant; idque *omnes.* — *Actiones.* Fugiunt a facie satellitum, qui modo fuerant eius voce prostrati; ab ipso recedunt omnipotente, amico. Quo vero se recipiant ipsi ignorant: locum quemque tutiorem aestimant eo, ubi ipse est. Perpende infirmitatem naturae gratia uberiore destitutae.

2. Satellites.

Personae. Iniquius etiam quam ante de ipso sentiunt: nec opinantem putant oppressum, in seligendis discipulis misere deceptum; pallorem ex agonia secutum interpretantur terroris malaeque conscientiae indicium; prostrati tanto saeviore flagrant cupidine ulciscendae in homine haud restituro iniuriae. — *Voces*

exsultationis, ludibrii. — *Actiones.* Vinciunt caute et rigide. Pertrahunt, propellunt, increpant «per vallem deorsum ac dein per declivum sursum», ad Annam pontificem, quasi laesae religionis reum, accusandum, sed non absolvendum, inde ad alias humiliationes et tandem ad crucem pertrahendum.

3. Iesus.

Persona. Derelictus dolet ob peccatum discipulorum, ut erat malum cum ipsorum tum Dei, ob ingratitudinem in se ipsum; sentit indignam satellitum de se opinionem; pertractus degustat totam eius derelictionis amaritudinem. Absunt quippe qui se cum ipso in mortem ituros fuerant protestati; singulis gressibus vincula, voces, ictus eum sentire faciunt, quam inanes fuerint omnes illae protestationes; incedit pastor percussus in medio luporum; deprimitur pondere verborum Scripturae, quae ipse novit impleri omnino oportere et impleri iam sentit. — *Verba.* Procedit mansuete et silentio, pro persecutoribus et discipulis orans, hoc suo dolore discipulis merens gratiam, ut a defectione brevi interiecto tempore resipiscant, eiusque memoria deinceps in sequela confirmentur. — *Actiones.* A largienda apostolis uberiore gratia ad tempus abstinet, pertrahi se permittit; omnia tolerat, quia adimpleri oportet

Scripturam; quia ignominia, maeror eius desertionis est gutta calicis ipsi a Patre oblati; quia me diligit.

II. *A S. Petro negatur.*

1. *S. Petrus* Christum *sequitur* tractus amore, impulsus praesumptione; sequitur *a longe* retardatus trepidatione. — Cor *Iesu* a longe sequentem observat sollicite et triste, efficaciorem tamen gratiam non largitur ob rationes superius datas.

2. *S. Petrus,* quem tot acceptis beneficiis prae ceteris omnibus oportuit defensionem magistri accusati suscipere, eundem *negat,* cui brevi ante tam ferventi se protestatione: «Non te negabo», obstrinxerat, quo cum se moriturum asseveraverat; negat perturbatus unius ancillulae interrogatione, ne ex infenso quidem animo profecta. — *Iesus* de hac negatione, quae una erat calicis gutta, dolet neque tamen ilico gratiam conversionis largitur, quod subsecuturae etiam negationes a Patre permissae et propheticis vocibus sint praenuntiatae.

III. *Apud Annam percutitur.*

1. *Annas,* legitima auctoritate iudiciali instructus, animo tamen non aequo, sed infenso, utpote qui socer sit Caiphae, eidem non affinitate solum, sed malitia coniunctus. —

Iesus pontifici legitima auctoritate interroganti respondere non detrectat; respondet verbis sufficientibus quidem, sed paucissimis et ieiunae simplicitatis; posset ipse sua responsione omnes ilico diluere accusationes, posset sua gratia inimicorum corda emollire: id vero non facit, quia calicem ebibere constituit.

2. *Minister* Iesum percutit. Is scil. verborum ante dictorum fructus est, ut Iesus de reverentia pontifici exhibenda edoceatur; edoceatur ab uno ministrorum, tamquam de re infimae notae hominibus perspicua neque a deputato ad eam explicandam magistro docenda; edoceatur argumento palpabili alapae, utpote qui subtiliora caperet difficilius; edoceatur publice cunctisque plaudentibus. — *Iesus* magistri partes sustinens percussorem edocet paucis verbis et mansuetis, nos edocet, quid nos de iniuriis sentire, quomodo eas perferre oporteat. Qui quaerentes se in horto sua omnipotentia prostraverat, percussorem non prosternit, angelorum veluti legiones cohibet, calicem ebibit; idque ob rationes superius datas.

De mysteriis factis a domo Annae usque ad domum Caiphae inclusive.

Primo. *Illum* pertrahunt *ligatum a domo Annae ad domum Caiphae, ubi S. Petrus eum bis negavit, et respectus a Domino «egressus foras flevit amare».*

Secundo. Mansit Iesus tota nocte ligatus.

Tertio. *Praeterea qui tenebant eum* captivum *illudebant ei et percutiebant eum et velabant ei faciem et dabant ei alapas et interrogabant eum: «Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?» Et similia blasphemabant contra illum.*

Vocem «pertrahunt» iam habet praecedens mysterium. Primi puncti pars prior ad Io 18, 24—27 propius accedit, posterior ad Lc 22, 61 sq; uti etiam quod punctum tertium de blasphemiis habet (Lc 22, 63—65). — Quod habetur «Secundo», totum est S. Ignatii; tamen ad verba «tota nocte» cf. Mt 27, 1 «mane autem facto», Lc 22, 66 «et ut factus est dies». — Verba: «Prophetiza» etc., verbotenus ex Mt 26, 68 petuntur.

Dixerat Io 18, 12 Iesum in horto fuisse ligatum; primo puncto sanctus Pater secutus

Io 18, 24 describit Iudaeos pertrahentes Iesum «ligatum» ad Caipham; Mt 27, 2 et Mc 15, 1 narrant vinctum esse ad Pilatum traductum. Vinculorum in ipsa Caiphae domo nullus evangelistarum meminit, quibus tamen hoc loco omnino insistit sanctus Pater in secundo puncto, et tertio puncto unam supplet vocem «captivum». An fortuita haec? An potius tamquam principale, ex mente sancti Patris, huius contemplationis momentum statuemus considerationem *redemptoris ligati?* Principale inquam, nam et agonia animae Christi in horto proposita continuatur, et iniustae condemnationes, quarum in mysteriis proxime sequentibus praecipuus locus est, sententia Caiphae incohantur.

Punctum I.

Iesus ligatus producitur.

I. *Pertrahitur.*

Quo in itinere continuantur et augentur, quae Christo antea fuerant perferenda: fatigatio, confusio, opprobria. Procedit iis plateis, quas paucis ante diebus triumphator lustraverat, a plurimis salutatus Messias et filius David; nunc iisdem incedit *ligatus,* gravissimi sceleris, falso scil. assumpti Messiae honoris, accusatus neque a primo iudice Anna absolutus.

II. *Examinatur.*

1. Iudices.

Pontifex lege divina ad hoc utique erat constitutus, ut in cuiusvis, qui se prophetam aut Messiam esse diceret, causam inquireret. At Caiphas iniquus iudex, vel ante causae examen, Iesum (Io 11, 49 sqq; 18, 14) perdere constituerat. Reliqui item sacerdotes et scribae odio fremebant in Iesum, idque omnino statutum habebant, ut eum non solum a vinculis non solverent, sed a vinculis transferrent ad mortem. Tales hi omnes erant, qui merito iudices recusandi essent. Processus iuridicus is fuit, ut testes evidenter periuri post alios alii evocarentur non eo fine, ut causa examinaretur, sed ut accusatus certissime interimeretur. Erat ea processus ratio evidenter iniusta.

2. Iesus

facili ope poterat singula, qua erat sapientia, crimina diluere; poterat accusatores, quod in horto fecerat, omnipotentia prosternere, eorum corda unico intuitu, uti Petri cor, emollire. Verum silet ipse, quia vult manere *ligatus:* lingua, brachium, oculus cohibentur ligamine longe fortiore *caritatis,* quo eodem in incarnatione iungebantur divina atque humana natura, in Ss. Eucharistia colligatur substantia

speciebus alienis, definiebantur omnes vitae mortalis actiones. Caritas inermem effecit.

III. *Condemnatur.*

1. Pontifex, falsorum testium pertaesus missisque quarum nulla probaretur accusationibus, adiecta adiuratione interrogationem profert, cuius proferendae indubia ei erat auctoritas: «Dic nobis, si tu es Christus, filius Dei vivi?»

2. Iesus ad interrogationem iustam respondet clare: «Tu dixisti», licet se inde condemnandum esse praevideat; respondet, quia hoc responsum populo electo dare ad tam sollemnem interrogationem tenetur; addit, quod iam in templo docens instanter inculcaverat, se quondam iudicem universalem esse apparitarum, quo monito iudices humanos iniquos misericorditer futurae retributionis commonefacit.

3. Qua gratia repudiata iudices, quam Christus affirmaverat Messiae et universorum iudicis dignitatem, eam declarant esse *blasphemiam;* Christum ipsum pseudomessiam et pseudoprophetam, qui sacrilege attentaverit iis, quae populo electo prae cunctis sacra essent, ideoque reum mortis. Considera, quam absolute blasphemia, i. e. iniuria in Deum prolata, et imprimis tam nefaria blas-

phemia repugnet Christo, qui Deus est; eius supremam in hac condemnatione meditare confusionem.

IV. *Negatur.*

1. Considera unum prae ceteris Petrum in tam exitiali discrimine potuisse in favorem Iesu testimonium edere, quippe qui eum nosset ceteris intimius; immo debuisse, quod eius auctoritatem compertam haberet, tot ab eo beneficia recepisset, totque fidelitatis protestationes edidisset.

2. Idem Petrus negat se nosse hominem, negat bis, negat cum iuramento et exsecratione, negat non iudiciali territus quaestione, sed quorundam servorum et ancillarum obiter dictis.

3. Iesus vinculis constrictus unico intuitu solvit vincula perturbationis et trepidationis, quibus apostoli animus fuerat implicatus, eumque revocat ad poenitentiam.

Punctum II.

Iesus ligatus retinetur.

I. *Ligatus,*

i. e. privatus libertate, imago servitutis, quam peccato incurrimus: ligatus manet, ut expiet nostrae libertatis abusum, ut nos resti-

tuat libertati filiorum Dei; — privatus requie tam corporis quam animi, imago miseriae, in quam peccato incidimus: ligatus manet expiaturus nostram sensualitatem et negligentiam, ut nos restituat beatitudini et paci; expositus omnium obtutibus, imago foeditatis peccati: ligatus manet expiaturus humanum respectum et sinceritatis defectum, utque redimat nostram in die iudicii confusionem.

II. *Mansit*

ligatus vinculis, ligatus magis etiam voluntate, continuo acceptans vincula, perseverans in vinculis, ut nostra solvantur vincula supplicans. Mansit *tota nocte,* toto scil. eo tempore, quod a natura consecratum est, ut vincula officiorum relaxentur, requies concedatur, aspectus praecludantur. Considera, quam longa fuerit illa nox, quam gravia illa vincula, quam intolerabilis vigilia, quam taediosi repetiti constanter obtutus.

III. *Iesus.*

Infinita libertas vinculis constringitur, beatitudo intermina requie interdicitur, divina sanctitas erubescit obtutus, lumen increatum ortum naturalis diei suspiriis advocat, aeternitas lentum queritur horarum progressum. Idque fit ideo, ut qui haec patitur revera sit nobis Iesus, i. e. liberator.

Punctum III.

Iesus ligatus contemnitur.

I. *Contemnitur.*

Ii, «qui tenebant eum captivum», nullum opprobriorum inferendorum habebant ius, non enim erant iudices, non iudicum acceperant mandatum, erant milites et famuli. Iam hi «illudebant ei et percutiebant eum», quasi qui suis se sceleribus iure honoris abdicasset poenamque meruisset; «velabant ei faciem et dabant ei alapas et interrogabant eum: Prophetiza etc.», pseudoprophetae et pseudomessiae insultantes; «et similia blasphemabant contra illum», maxime exspuentes in faciem eius. Blasphemiae iniuste condemnatus blasphemiis ipse impetitur.

II. «*Praeterea*».

Haec faciebant «praeterea». Nulla interim concessa libertas aut requies, nullius prohibiti obtutus tota ea nocte: interim infligebantur opprobria, primum a paucis quibusdam satellitibus, inde ab aliis successive, a supervenientibus sacerdotibus et scribis, ab ingerentibus se de plebe aliquibus. Prioribus fessis succedebant alii studebantque priores vincere impudentia. Posterioribus deficientibus redibant resumptis viribus primi. Per-

pende totius illius noctis licentiam, verborum, obtutuum, actuum insolentiam.

III. *Iesus*

in his perseverat quasi inferno quodam detentus, infensas undique contuens facies, blasphemias audiens, sputa excipiens et ictus. Eius inferni artifices duo, odium peccati infinitum, caritas mei ineffabilis. Caritate eius inferni caementantur lapides, obserantur ostia; caritas os, brachia, oculos *ligata* retinet.

De mysteriis factis a domo Caiphae ad domum Pilati inclusive.

(Mt c. 27. Lc c. 23. Mc c. 15.)

Primo. Pertrahunt *eum omnis multitudo* Iudaeorum *ad Pilatum et coram illo eum accusant dicentes: «Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Caesari.»*

Secundo. *Postquam Pilatus eum* semel et *iterum* examinasset, *ait Pilatus: «Ego nullam invenio in eo causam.»*

Tertio. *Ei* praelatus *fuit Barabbas latro: «Clamaverunt omnes dicentes: Non hunc, sed Barabbam.»*

Vocem «pertrahunt» habent praecedentia duo mysteria. — Lc 23, 1: «eorum», a quo etiam mutuata sunt accusationis verba; sequentia a Io 18, 38 40.

Hoc duobusque sequentibus mysteriis proponuntur imprimis *iniuriae* servatori inflictae. Acta apud Pilatum priora ad haec aptissime capita revocantur: Christus accusatur, absolvitur, Barabbae postponitur. En iniuria servatoris *innocentiae* illata. Acta apud Herodem: Christus ad Herodem mittitur, ab Herode «curiose» interrogatur, ab eodem despectui habetur. En iniuria Christi *sapientiae* inflicta. Acta apud Pilatum posteriora exhibent iniuriam in Christi *regiam dignitatem* directam. Vide, quam his consonet meditatio de regno Christi.

Punctum I.

Iesus coram Pilato sistitur.

I. *Pertrahitur.*

1. *Quis?* Iesus filius Dei, ergo summa maiestas, sanctitas, veritas, iustitia; rex, magister, iudex mundi; qui fuerat in horto apprehensus tamquam perturbator, alapa percussus apud Annam tamquam patriae religionis contemptor, condemnatus atque ludibrio habitus apud Caipham tamquam blasphemus et pseudomessias.

2. *A quibus?* Pertrahunt «omnis multitudo Iudaeorum», non iam aliqui satellites tantum, sed sacerdotes, scribae et seniores omnes, cum ipsis turba infinita sive comitantium sive spectantium continuo crescens, omnes furentes contra Dominum instar luporum.

3. *Ad quem?* «Ad Pilatum», eius scil. auctoritatis vicarium, cui obsequens aliquando Iesus in Bethlehem fuerat natus, auctoritatis saecularis, ethnicae, usurpatae; quem virum ipsi Iudaei (Io 18, 28) immundum iudicant conveniuntque quam rarissime possunt; nunc futurum arbitrum vitae mortisque, ignominiae et honoris Iesu.

4. *Quomodo?* Pertrahunt vinctum, exhaustum, summa violentia; «mane facto», «confestim mane», «ut factus est dies», summa festinatione; additis verbis odii, improperii.

5. *Quo fine?* Ut morte tamquam «malefactor» afficiatur. Clamant iam corda: Crucifige! Crucifige!

II. *Accusatur.*

Primum Iudaei condemnari Iesum ut «malefactorem» postulant non alio argumento, quam suo ipsorum testimonio: «Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum» (Io 18, 30). Id Pilato facere renuente, proferunt accusationes ab iis, quarum Iesum brevi ante

reum ipsi pronuntiaverant, toto caelo diversas, cuiusmodi alii viro honori potius verterent quam crimini. Quarum duae falsae erant («Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Caesari»), una ambigua («et dicentem se Christum regem esse»). Praeter quae «alia multa» (Mc 15, 3) proferunt, iis utique infirmiora, selecta nullo iustitiae habito respectu, sed solo fine praesidis contra Iesum instigandi. — Ludunt Iesu honore ac vita.

Punctum II.

Iesus a Pilato examinatur.

I. *Pilatus*

examinat Iesu causam «semel et iterum» eiusque innocentiam agnoscit ex eo, quod iam ante intellexerat eum per invidiam tradi; ex «multis», quae tam futiliter proferebantur; ex eo, quod priorum duorum criminum, quae maxime publica fuisse oportebat, nihil unquam innotuerat; ex clara qua Christus tertium crimen diluebat responsione. Tandem Iesu innocentiam proclamat: «Non invenio in eo causam.» Quorum verborum speciatim is sensus est: Non deliquit Iesus se regem dicens; hanc quippe unicam accusationem dignam iudicarat Pilatus, in quam inquireret.

II. *Aeternus Pater.*

Considera invisibiliter suo throno pro tribunali insidentem, quem e templo brevi deserendo in forum veluti transtulit; throno adstant angeli trisagion inclamantes, velantes facies ob peccata Ierusalem totiusque mundi. Finis iudicii est, ut Deus recipiat gloriam, homines pacem pretio sanguinis hominis Dei. Aeternus Pater «posuit in eo iniquitates omnium nostrum» (Is 53, 6), et hinc declarat: Ego invenio in eo causam, reus est mortis. Cui angeli respondent: Amen.

III. *Iesus,*

1. Pilato quod concedendum est concedit, scil. se esse regem, regni indolem explicat; ceterum ad defensionem ne verbum quidem profert. Attende, quam excellentia os illud proloqui potuit. Praeterea iudici, Iudaeis in se minus iniquo, duplicem offert gratiam, somnio eum monens uxoris (Mt 27, 19) simulque, ut de veritate regnoque spirituali inquirat sollicitans; cui gratiae Pilatus diligentiore investigatione cooperari negligit.

2. Volenter acceptat Iesus condemnationem e Patris ore profectam, subiturus mortem pro peccatis meis.

Punctum III.

Iesus Barabbae postponitur.

I. *Pilatus*

pronuntiata Iesu innocentia prae respectu humano non audet ilico ut is libertati restituatur decernere. Liberationem titulo iustitiae debitam efficere conatur tamquam gratiam ex consuetudine paschali gratuito concedendam; gratiam inquam, ab inimicis iuratis Christo ut pseudomessiae iam innoxio tribuendam. Ad quam gratiam certo certius extorquendam comparationem instituit inter Iesum hominemque perditissimum, cui si praetulerint Iesum Iudaei, non innocentiam ideo agnoscunt, sed minorem tantummodo nequitiam. Ludit Pilatus cum Christi iure, honore, vita.

II. *Iudaei*

declarant Iesum gratiam non mereri: «Non hunc»; aut certe minus mereri, quam mereatur Barabbas: «sed Barabbam». . Id declarant nullo praevio examine iuridico, concitati a sacerdotibus. In quo tamen sibi priorique suae nequitiae constant: quod si enim Iesus revera supponatur blasphemus pseudomessias, utique gratia est vel Barabba indignior. Ludunt Iudaei Christi iure, honore, vita.

III. *Aeternus Pater*

pronuntiat «non huic» se condonaturum peccatum, filio dilecto, in quo sibi secus complaceat, sed qui nunc mundi peccata portet, «sed Barabbae», i. e. peccatoribus universis, qui in Deum insurrexerint rebellione. Id autem pronuntiat ex motivo generosissimi amoris: nam «sic Deus dilexit mundum», Barabbam illum homicidii et rapinae reum, «ut filium suum unigenitum daret».

IV. *Iesus*

non quaerit gratiam sibi: «non hunc»; quaerit nobis: «sed Barabbam». Continuo se offert victimam satisfactionis vicariae: «Ecce venio!»

De mysteriis factis a domo Pilati usque ad domum Herodis.

Primo. *Pilatus misit Iesum Galilaeum ad Herodem* tetrarcham Galilaeae.

Secundo. *Herodes* curiosus *interrogavit eum* multum, *et ille nihil ei respondit,* licet *scribae et sacerdotes eum constanter accusarent.*

Tertio. *Herodes eum sprevit cum exercitu suo, induens eum veste alba.*

Cf. Lc 23, 6—11, qui etiam illud «curiosus» explicat. — «Multum», i. e. instanter; Lc: «multis sermonibus». — Cf. quae diximus ante praecedens mysterium.

Punctum I.

Iesus ad Herodem mittitur.

I. *Quis mittitur?*

Iesus, filius Dei, nostra portans peccata; Barabbae postpositus, et sic insignis ipse malefactor declaratus; cuius libertas, honor, vita non iure constant, sed gratia et politica ratione; idem «Galilaeus», quod unum in eo consideratione iam dignum reputatur.

II. *A quibus mittitur?*

A Patre aeterno, calicem funditus hausturus; — a Pilato, praetextu quidem Herodianae iurisdictionis, quam is ignorare et infringere consueverat; revera, ut is a reo se expediret, quem neque condemnare auderet neque liberare; utque sic Herodem conciliaret. Ad quem finem libertate ludit, honore et vita Iesu. — Pertrahitur igitur Iesus a satellitibus, aucto in immensum populi concursu.

III. *Ad quem mittitur?*

Ad Herodem, genere ortum eo rege, qui thronum David usurpasset, Christo infanti

insidias parasset; moribus simillimum patri, simillimum Lucifero, dissimillimum Deo, omnis auctoritatis fonti: superbum, crudelem, lascivum, impium (cf. Act 12, 23), S. Ioannis Baptistae interfectorem; impotentem, quippe qui merus esset «tetrarcha Galilaeae», sed iugiter cupientem videri vero potentiorem, unde continuae cum Pilato nascebantur lites; quietis expertem ob conscientiae stimulos novarumque voluptatum insatiabilem aviditatem.

Punctum II.

Iesus coram Herode sistitur.

I. *Ingreditur.*

1. Considera *regem* sedentem in throno excelso, verae tamen excellentiae expertem: in throno pretioso, reprobum et abiectum; in throno solido, pace moralique firmitate carentem. Conspice *aulam* spatiosam, ornatam, infinitae vanitatis spiritualisque miseriae receptaculum; *aulicos* numero plurimos, ornatu et moribus regis similes, eius potentiam exaggerantes, vitia laudantes. Perpende horum omnium *vanitatem,* quibus conventus ille constituatur Babylon aliqua.

2. Ubi Iesus ingreditur, non pudor admissorum peccatorum occupat animos, non praesentis numinis verecundia, non vitae verae procurandae desiderium: nihil praeter

profanam «curiositatem» obtutus loquuntur. Perpende Iesu hanc aulam ingredientis confusionem, humiliationem, dolorem.

II. *Examinatur.*

1. *Herodes* animo fovet sensa quaedam specie Christo amica, sed quae re sint probra conviciis atrociora Christoque summe iniuriosa. Curiose eius adventum desideraverat: «erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo». Vane de eius adventu exsultat: «viso Iesu gavisus est valde». Absurde sperat Iesum, ostentationis ergo et in eiusmodi hominum gratiam, miraculum aliquod fore patraturum: «sperabat signum aliquod videre ab eo fieri». Supponit se posse blanditiis Christi animum flectere, et hinc importuna comitate «interrogabat eum multis sermonibus». Tacite paciscitur se omnes accusationes neque examinatas dimissurum, dum modo Christus artis miraculorum patrandorum coram se specimen daret. — Ludit Herodes cum Christi libertate, honore, vita. — Considera, quam *vana* sit mundi amicitia.

2. *Sacerdotes et scribae.* Adverte numerum; pondera accusationes iam Herodis animo inflammando accommodatas, babylonica confusione prolatas, invicem destruentes; nota adversariorum in accusando «constantiam»,

odium ex ipsorum vultibus vocibusque transspirans. Ex earum accusationum vanitate disce, quam *vana* sint mundi odia. — Ludunt et illi cum Christi libertate, honore, vita.

3. *Iesus* non refutat accusationes tam facile diluendas, non admittit sollicitationes tam assiduas tamque indignas. Iterat apud Patrem oblationem sui.

Punctum III.

Iesus ab Herode spernitur.

I. *Factum proponitur.*

«Herodes eum sprevit cum exercitu suo»; sprevit *mente,* ratus non esse prophetam, non posse miracula patrare; sprevit *verbis,* pronuntians nebulonem, histrionem. Quibus verbis plaudit omnis eius «exercitus», i. e. aulici, sacerdotes et scribae, satellites et turba, plausu a regis throno latius usque per aulam, atria, plateas se diffundente. — Sprevit tandem Herodes *actu* «induens eum veste alba». Neque absolvit neque condemnat, sed iuris quaestione penitus omissa facto idiotam declarat, simul Pilato obsecutus a condemnatione abstinet, et caput Iudaeis exosum ignominia cumulat. Declarat igitur magistrum idiotam, regem idiotam, filium Dei idiotam, Messiam idiotam, prophetam idiotam, hominem carente eo praecise, quod ad haec officia omnia et

singula maxime est necessarium. Rursum audi plausus totius «exercitus» sapientiae regis applaudentis, sacerdotum et turbae, quibus utique longe acceptior fuisset condemnatio. — Perpende Iesu sensa humiliationis, resignationis, oblationis sui.

II. *Factum discutitur.*

1. Perpende, quam absolute discordent subiectum et praedicatum in illa sententia: Iesus est idiota, sive divinam eius sive humanam spectes naturam. Attende eorum, qui illam pronuntiant, ignorantiam, stultitiam, vanitatem, quippe qui mente incapaces sint penitus iusti de Christo ferendi iudicii. Unde tandem inferas eius sententiae absurditatem et impietatem tam unanimiter atque indubitanter prolatae.

2. Hinc universim considera mundi iudiciorum *vanitatem*, comparantium caelestia terrestribus, spiritualia materialibus. 1 Cor 2, 14: «Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.» Considera, ex ista mundi Babylone non posse nisi babylonica, i. e. confusa, absurda, de illis rebus prodire iudicia.

3. Considera mundi hanc Babylonem abhorrere Christum eiusque humilitatem et paupertatem; e contra amare et amplecti

quae Christo exosa sint, honores, famam, pompam, voluptates; Christum vicissim haec repudiare, illa amplecti. At mundi iudicia vana, Christi vera. Aequum igitur est ut qui serio Christo adhaereant, eadem quae ipse amplectantur et repudient.

De mysteriis factis a domo Herodis usque ad domum Pilati.

(Mt c. 27. Lc c. 23. Mc c. 15. Io c. 19.)

Primo. *Herodes remittit eum ad Pilatum*, ob quam causam *facti sunt amici, cum prius essent inimici.*

Secundo. *Apprehendit Iesum Pilatus et flagellavit eum, et milites fecerunt coronam de spinis et posuerunt eam super caput eius; et vestierunt eum purpura; et veniebant ad eum et dicebant: «Ave, rex Iudaeorum»; et dabant ei alapas.*

Tertio. *Eduxit eum foras* in conspectum omnium. «*Exivit ergo Iesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum*», *et dixit iis Pilatus: «Ecce homo»; et cum vidissent eum pontifices, clamabant dicentes: «Crucifige, crucifige eum.»*

Ad primum punctum cf. Lc 23, 11 sq; secundum affinius est Io 19, 1—3, quam Matthaeo et Marco; ad tertium cf. Io 19, 4—6. — Cf. quae diximus ante paenultimum mysterium.

Punctum I.

Iesus ad Pilatum remittitur.

I. *Remittitur ad Pilatum.*

Considera facti *iniustitiam:* causa ad Herodis tribunal delata neque ulla ibidem in eo culpa reperta, iuste Iesus erat libertati restituendus. Considera *ignominiam:* Iesus a nulla efficaciter absolutus accusatione, nebulonis insigniis per plateas incedere iubetur; eius honor, libertas, immo etiam vita adhibentur ut media ad privatum aliquod Herodis intentum, quo scil. Pilati gratia concilietur. Cumulant Iesum conviciis sacerdotes et turba, oppido gnari omnia sibi impune cessura in hoc homine. Maerore opprimitur Iesus, quem auget circumstantium exsultatio.

II. *Fiunt amici Herodes et Pilatus.*

Gaudent *sacerdotes* Iesum nondum esse absolutum, causam ab inconstanti eorumque influxui minus patente Herode revolvi ad Pilatum. Laetatur *Herodes* ob suam a Pilato agnitam iurisdictionem et ob expletam curio-

sitatem; gaudet idem se Iudaeis satisfecisse, si non condemnato, at certe contemptui habito Iesu. Gaudet *Pilatus*, minus quidem ob remissum ad se incommodum reum, at certe ob confirmatam suam de Iesu innocentia sententiam honoratamque eodem remisso suam iurisdictionem; gaudet ob gratiam apud Caesarem consequendam, ob conciliatum tam feliciter Herodem. Hinc Pilatus et Herodes ad grati animi transeunt significationes et penitus reconciliantur. Inter tot gaudentes solus *Iesus* maerore consumitur. — Vide, quam vana sint mundi tripudia.

Punctum II.

Iesus flagellatur et spinis coronatur.

I. *Flagellatur.*

Considera eius supplicii *iniustitiam:* infligitur illud reo a duobus iudicibus absoluto, nullius certe capitalis causae convicto; infligitur supplicium poenam capitis severitate proxime excipiens. Lc 23, 15 sq: «Nihil dignum morte actum est ei: emendatum *ergo* illum dimittam.» — Considera *crudelitatem:* «A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas» (Is 1, 6). Tortores, homines inhumani, stimulantur perspecto Pilati consilio Iudaeis aliquid concedendi, sacerdotum odio et donis. Viribus

misere exhaustus Iesus illud supplicium subire cogitur. — Considera *ignominiam,* inflicto mancipiorum supplicio ei, qui se regem, prophetam, Dei filium esse affirmaverat et revera etiam erat.

II. *Coronatur.*

1. Carebant milites isti omni prorsus auctoritate, nullam adhibuerant inquisitionem, sola furebant Pilati ignavia et, Iudaeorum fisi approbatione, tormenti modum nonnisi ex propria repetebant *petulantia.* — Regem igitur Christum regiis insignibus exornant, corona atque purpura, materiae tamen non pretiosae, sed vilis, quae non honorem conferant, sed ignominiam, non voluptatem, sed dolorem. Eundem regis honore salutant: gestu, venientes et genuflectentes; verbo, dicentes: «Ave, rex Iudaeorum»; actu, infligentes alapas. Idque faciunt unus primum, inde alter, postea alii; fatigatis prioribus succedunt integri studentque petulantia vincere priores.

2. Considera *ignominiam.* Acerbior ea est ignominia, quae specie infligitur honoris; tanto acerbior, quanto excellentioris honoris speciem imitatur; vel inde acerbior, si ei infligatur, cui excellens ille honor nativo et certissimo iure competat. Hinc infer, quanta Dominum ignominia affecerit illud regni pro-

brosum simulacrum: purpureus cento non nudam carnem, sed cruda velans vulnera; sceptrum fragile arundo, insigne potestatis; corona pungens ex vilissimis spinis conserta, maiestatis symbolum; genuflexionum et salutationum alapis condita opprobria.

III. *Iesu flagellati et coronati sensa.*

1. Conscius sibi est regiae suae dignitatis: «Ego autem constitutus sum rex ab eo.» Clare novit, qualis sibi debeatur thronus, sceptrum, purpura, obsequium. Neque tamen ex hac conscientia ullum tum solatium percipit, summa oppressus desolatione.

2. Iis, quibus afficitur tormentis et opprobriis, edocetur Iudaeorum de suo regno iudicium, esse illud scil. regnum impotens, quod ne tortores quidem valeat cohibere; auctoritatis expers, quod coram impune contemptui habeatur; ficticium, quod apte repraesentetur insignibus regio usui prorsus imparibus. Edocetur Iudaeos sibi exspectare regem Messiam mundi pompa et opibus circumdatum. Dolet de certa ruina populi sui electi.

3. Agnoscit illud de suo regno Iudaeorum iudicium tam publice, tam confidenter expressum procedere ex mentibus altiorum rerum penitus ignaris, concupiscentiae carnis et oculorum atque superbiae vitae misere

mancipatis; et esse perseveraturum usque ad finem mundi in ruinam multorum. Orat, ut merito passionis sui adveniat regnum Dei in cordibus electorum.

Punctum III.

Iesus in publicum producitur.

I. *Producitur.*

Iudex legitima auctoritate instructus, Iesum flagellatum et coronatum producens, satellitum acta approbat et latissime propalat. Exit igitur summus rex indutus insignia regni ad ludibrium, sanctitas intemerata ferens vestigia supplicii gravioribus sceleribus reservati. Exit de praetorio in locum patentissimum. Considera irrisiones, quibus in praetorio impetitur, satellitibus exsultantibus ob impunitam a Pilato dimissam suam impudentiam; susurrum multitudinis propius usque et distinctius eius aures percellens, dum e praetorio per atria incedit; acclamationes eorum, in quorum primum conspectum prodit, continuo invalescentes, quoad omnibus tandem conspicuus in loco prominenti consistit, una universorum vociferatione atque rugitu salutatus.

II. *Crucifigendus exposcitur.*

1. «*Ecce homo.*» Solam Pilatus iam implorat misericordiam. Non viri iterato a

diversis iudicibus declaratam innocentiam appellat, non Barabbae abiectissimo praeferendum suggerit. Fuerit blasphemus, sacrilegus, impostor: attamen ad eam iam redactus est miseriam, ut magistri, regis, prophetae personam in posterum agere omnino nequeat; fuerit sceleratus: at est innoxius.

2. «*Crucifige eum.*» Affirmant Iudaei solum extremum supplicium viri par esse sceleribus. Quod responsum suggerunt pontifices, inspirante odio, invidia, ipso tandem satana. Audi intervallis primum auditas singulorum sacerdotum voces, mox latius propagatas, tandem mersas uno universi populi rugitu.

3. *Iesus.* «Populе meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi!»

De mysteriis factis a domo Pilati usque ad crucem inclusive.

Primo. *Pilatus* sedens ut iudex *tradidit illis Iesum, ut eum crucifigerent, postquam illum Iudaei* negassent esse suum regem, *dicentes:* «*Non habemus regem nisi Caesarem.*»

Secundo. *Portabat crucem* humeris suis, *et* cum non posset eam portare,

coactus fuit Simon Cyrenaeus, ut illam portaret post Iesum.

Tertio. *Crucifixerunt eum in medio duorum latronum, ponentes hunc titulum: «Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum.»*

«Sedens ut iudex», Io 19, 13: «sedit pro tribunali». S. Ioannem etiam secus hic sequitur sanctus Pater; tamen de Simone Cyrenaeo propius adhaeret Lc 23, 26.

Punctum I.

Iesus cruci addicitur.

I. *Condemnatur.*

1. Considera *Pilatum* sedentem ut iudicem, ex potestate sibi data desuper a Patre (Io 19, 11) ad finem administrandae iustitiae. Cupit utique liberare «iustum», sed simul omnino vult placere Caesari et Iudaeis (cf. secundum binarium). Hinc tandem videns, «quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret» (Mt 27, 24), post inanem manuum lotionem propriaeque innocentiae declarationem, post repetito agnitam Iesu innocentiam, neglecto uxoris somnio, neglecto quod publice affirmaverat, post flagella dimittendum reum, — tradit iustum inimicis ferocissimis, tradit morte plectendum maxime crudeli, probrosa, iniusta.

2. Considera *Patrem* invisibiliter sedentem ut iudicem, circumdatum angelorum gloriosis agminibus, tradentem iustum moriturum pro peccatoribus satisfactione vicaria: Sanguis eius super vos et super filios vestros.

3. Considera *Iudaeos* alio penitus sensu eundem sanguinem sibi imprecantes. Unde adverte duplicem eius sanguinis efficaciam, «in ruinam et resurrectionem». Adverte eius sanguinis maledictum usque in praesens perdurans inter Iudaeos inferosque, cum tanta sit eius efficacia in ruinam, quanta futura sit in resurrectionem.

4. Considera *Iesum,* cui dedit Pater omne iudicium (Io 5, 22), constitutum iudicem vivorum atque mortuorum, nunc stantem ante tribunal agnum Dei tollentem peccata mundi, acceptantem sententiam Patris et Pilati atque ex intimo corde orantem: Sanguis meus sit super vos et super filios vestros -- scil. in resurrectionem.

II. *Rex producitur.*

1. *Regem contuere.*

a) Non consuevit ad regnum assumi vir *dubiae famae.* Hic quis est? De eius fama nihil *iuridice* constat. Non constat sitne legis doctor verus an falsus (Annas). Non constat de sexcentis accusationibus coram Caipha prolatis. Accusationem blasphemiae

ipsi Iudaei coram Pilato prudenti silentio retraxere. Non constat egeritne quidquam contra Caesarem necne, cum eius criminis fuerit quidem absolutus, at simul in vinculis retentus. Non constat iustene sit Barabbae postpositus necne. Constat vero praeter iustitiam esse flagellatum, coronatum, immo mortis damnatum, quo scil. condemnato Pilatus ilico lavit manus.

b) Non consuevit ad regnum assumi vir, *cui nullus suffragatur titulus*. Qui titulus suffragatur Christo? Titulus filii Dei et Messiae recusatur. Regnabitne titulo originis? Galilaeus est. Titulo fortitudinis? Ligatus est. Titulo sapientiae? Ab Herode fatuus habebatur. Titulo probitatis? Barabbae postponebatur. Titulo favoris populi? Populus contra ipsum fremit.

c) Apud quosnam habebit iste rex *auctoritatem?* Non apud populum neque apud sacerdotes et proceres. Galilaeae tetrarcha eum sprevit. Caesaris procurator eum condemnavit. Coronavere milites nulla auctoritate, salutarunt sputis, alapis, flagris, ludibriis. Totum *hoc* Christi regnum *vanum* est, phantasma est.

2. «*Ecce rex vester.*» Audi haec verba prolata a *Pilato:* Ecce, qui regem se fecerat, iam ad extremam miseriam redactus coram adstat; maior enim est miseria condemnati miseria condemnandi; unus tantummodo mi-

seriae gradus superest supplicium; hunc gradum condonate. Rursum misericordiam appellat Pilatus, ostendens hominem iam plane inutilem factum esse, qui ad regnum aspiret. — Eadem verba audi tamquam prolata a *Patre*, regem nobis proponente insignia supremae humilitatis gestantem.

3. «*Non habemus regem nisi Caesarem*». — Sane «omnes, qui habuerint iudicium et rationem sanam, offerent se totos ad laborem», Christum agnoscent regem paratique erunt ad eius insignia gestanda. — Iudaei protestantur se esse de regno Caesaris, quod est regnum ambitionis, violentiae, fraudis, interiturum aliquando cum omni sua gloria, prius tamen ipsos hos Iudaeos contriturum et dispersurum. Qui etiam protestantur se esse de hoc solo regno, ab eo omnem suam exspectare felicitatem, nihil sibi commune esse cum regno Christi, quod regnum est crucis et abiectionis. Quo ostendunt Iudaei se non habere iudicium et rationem sanam: malum profecto est et amarum repudiare crucem Christi.

Punctum II.

Iesus crucem portat.

I. *Quid portat?*

Portat instrumentum supplicii maximis sceleribus reservati, insigne supremae igno-

miniae, quod ipse portans efficitur «opprobrium hominum et abiectio plebis»; crux thronus est regis spinis coronati, instrumentum nostrae salutis.

II. *Quo portat?*

Pergit via crucis longa et ardua, per varias primum eius civitatis plateas, quam triumphator ante intraverat; ascendit Calvariae montem moriturus in cruce, brevi post virtute crucis gloriose ascensurus in caelum, inde aliquando cum gloriosa cruce iudex mundi reversurus.

III. *Quis portat?*

1. *Iesus,* qui ut Deus portat omnia verbo virtutis suae, cui ut homini dedit omnia Pater in manus; qui portabatur a cherubim, quando prophetis apparebat, portabatur in utero et super brachia beatae Virginis; postea licet saepe non haberet ubi reclinaret caput, famulatu tamen honorabatur apostolorum et piarum mulierum; nunc rex nullos habens servos suum ipse thronum portare cogitur. — Portat ipse «*humeris suis*», spinis coronatus, flagellis dilaniatus, portat dum vires suppetunt («et cum non posset eam portare» etc.), portat lubens et volens: quia crux a Patre decreta est instrumentum salutis mundi, quia nobis quoque via crucis incedendum est et ipse nos docere vult exemplo.

2. *Simon Cyrenaeus,* et ille quidem «*coactus*». Perpende, quomodo non habuerit «iudicium et rationem sanam» vir ille, qui cogi debuit, ut ferret pondus tam *nobile,* crucem scil. filii Dei, pondus tam *utile,* tam ferax scil. meritorum, pondus tam *pretiosum,* lignum scil. vitae verae.

3. *Nos* aequum est ferre crucem *libentes.*

Punctum III.

Iesus crucifigitur.

I. *Cruci affigitur.*

1. Quo facto rex noster suum tandem *thronum* conscendit, thronum utique durum, nudum, vilem. Locus erigendi throni Calvariae mons, locus infamis. Corona spinea, vulnera ornatus sunt regis nostri.

2. Quo in throno priora tormenta omnia augentur. Exsistit iam servator *libertate* privatus magis quam antea pro nostra liberatione; non iam ligamine solum, sed clavis adstringitur cruci, cum tamen etiamnum possit sua sapientia et omnipotentia se omni vinculo expedire. Augentur *dolores,* addito vulnerum et coronae tormento clavorum cruciatu. Attende, quomodo hic cruciatus continuo increverit inde a mallei ictibus filii carnem et, trans matris animam, eius etiam animam penetrantibus. Crescit *ignominia* ex loco et

supplicio; item ex duorum latronum societate, quibus sociatus Iesus aequiparatur, immo medium locum obtinens antefertur quasi sceleratorum caput. Magis nunc in ipsum a terra exaltatum omnium convergunt *obtutus*. Imminet mortis suprema *separatio*. Animam opprimit *agonia* etiam intolerabilior.

II. *Titulus apponitur*.

Iesus. Hoc ei per angelum mandato Patris impositum fuerat nomen intuitu crucis, qui cruce servator iam est effectus ab universis malis. — *Nazarenus*. Hoc crucis exitium tota inde ab infantia Christi vita adumbraverat et praeparaverat. Natus est Iesus in summa paupertate, educatus continua oboedientia, ut tandem «post tot labores, post famem, post sitim, post aestum et frigus, post iniurias et contumelias moriatur in cruce, et omnia haec propter me» (nativ.). — *Rex*. Christi regnum, a Patre stabilitum et a prophetis praemonstratum, intime conectitur cruci tamquam condicioni ab omnibus regni civibus acceptandae. — *Iudaeorum*. Illud regnum tempus complectitur et aeternitatem, angelos et homines, specialius etiam Iudaeos: at his ob suas culpas reiectis manet regnum. Nostra non opus habet Iesus, dum nobis sine ipso neque salus ulla neque vita.

De mysteriis factis in cruce.

Primo. Locutus est septem verba in cruce: *oravit pro iis, qui eum crucifigebant; veniam dedit latroni; commendavit S. Ioannem matri suae et S. Ioanni matrem; dixit alta voce: «Sitio», et dederunt ei* fel *et acetum; dixit se esse derelictum; dixit: «Consummatum est»; dixit: «Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.»*

Secundo. *Sol obscuratus fuit, petrae scissae, sepulcra aperta, velum templi divisum in duas partes a summo usque deorsum.*

Tertio. *Blasphemant illum dicentes: «Vah, qui destruis templum Dei, descende de cruce»; fuerunt divisa vestimenta eius, percussum lancea latus eius manavit aqua et sanguine.*

Septem verba habentur apud evangelistas: Mt 27, 46. Mc 15, 34. Lc 23, 34—46. Io 19, 25—30. — «Fel» (Mt 27, 34) non una cum aceto datum est Christo; irrepsit h. l. e Ludolpho II 63 44, qui item fel et acetum coniungit. — Ad miracula cf. Lc 23, 45 et Mt 27, 51 sq; ad blasphemias Mt 27, 40.

Vestimenta divisa habent Mt 27, 35; Mc 15, 24; Lc 23, 34; Io 19, 23 sq; percussum latus Io 19, 34.

Plurimum a litterali differt vulgata versio, cum haec primum blasphemias circa crucem editas, dein septem Christi verba, et tandem miracula eius mortem consecuta; illa vero septem verba, inde miracula, tandem blasphemias recenseat. Quae tanta est divergentia, ut inadvertentiae tribui haud facile possit. Sed optima assignari potest inversi a sancto Patre biblici ordinis ratio. Primum scil. punctum septem illis verbis regios Christi in throno crucis constituti actus describit, et ita intime cum praecedente contemplatione cohaeret. Secundum vero et tertium punctum circa thronum Christi duo rursum castra, duo vexilla in conspectu ponit invicem hostilia: hinc solem, petras, sepulcra Christo testimonium reddentia, quod filius sit Dei veraque mundi vita, quibus non erit a mente sancti Patris alienum addere testimonium centurionis aliorumque, immo universae ecclesiae tot miraculis illustratae; illinc Iudaeos Christum blasphemantes, milites eius vestes dividentes et etiam corpus exanime transfigentes, quibus commode adiunges impugnationes contra ecclesiam, quae corpus est Christi, tot saeculis directas. Ceterum, quod

ita ad vexillorum meditationem revocemur, non is est finis, ut ad «fraudes» Luciferi animum rursus advertamus, sed potius ut eius meditationis colloquii, tertium gradum exprimentis, sensus in nobis renovemus et confirmemus.

Punctum I.

Christi acta in cruce.

I. «*Locutus est septem verba.*»

Corpus cruentatum, caput spinis redimitum, manus et pedes clavis transfixi, vires continuo fatiscentes. Pallescit os, lentius pulsat cor, voluntas permanet inconcussa, haec omnia divinitati unita. Stillant e vulneribus ultimae sanguinis guttae, ex ore septem extrema verba. O quam pretiosae sanguinis guttae, quae complent pretium redemptionis mundi! Quam pretiosae septem illae guttae mellis, quae ex ore exsangui labuntur! Guttae tres, et guttae iterum tres, et iterum gutta una.

II. *Considera verba singillatim.*

1. «*Pater dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt.*» In corde saturato tormentis nullus *vindictae* sensus: orat Christus pro crucifigentibus se. — «*Hodie mecum eris in paradiso.*» In corde saturato opprobriis *amor* conviciatoris: aperit ei paradisum Christus.

— «*Mulier, ecce filius tuus*» etc. In corde saturato tristitia eadem usque *sollicitudo* docendi suos atque solandi, providendi eorum necessitatibus, efficiendi ut unum sint. — Haec oportet servare eum, qui Christum sequitur in omnibus opprobriis.

2. Vulnera oculos percellunt, sed est *dolor internus*. Utile est nobis, nihil dolorum Christi ignorare. Ut igitur sciamus nihil in ipso esse vacuum cruce, duo addit verba, quibus nos moneat de tormentis quibusdam internis ideoque minus obviis. Prius est *sitis* intestina torquens, orta ob potus inde a coena carentiam, virium prostrationem sanguinisque profusionem; manifestata vocis qua proclamatur instantia et raucitate; quae tamen manifestata non exstinguitur, sed oblato potius aceto augetur. Alterum est mentis *agonia* inde ab horto continuo augmentata, nunc ne angelo quidem misso mitigata, ut tandem se Christus a Deo derelictum queratur. — Nosti iam dolores Christi omnes. Pronuntiat igitur Christus omnia esse *consummata*, quae a Patre fuerint decreta et a prophetis praenuntiata, calicem dolorum et ignominiae esse haustum: non propria voluntate aut repugnantia haec definiuntur, sed Patris decretis.

3. Tandem verbis «*Pater, in manus tuas*» etc. Iesus agit illud, quod aiebat Io 10, 17 sq:

«Ego pono animam meam . . . nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso»; libere abdicata vita «exspiravit» (Mc 15, 37; Lc 23, 46; etiam die quinta tertiae hebdomadae). Christus *sacerdos* super altare crucis, stola humilitatis indutus, exhausto calice consummat *sacrificium* redemptionis, dat gloriam Deo et pacem hominibus. Christus *rex* prostratis hostibus regno potitur duraturo in aeternum.

Vide, ut tu quoque calicem tuum exhaurias, eruntque novissima tua instar novissimorum Christi.

Punctum II.

Christi circa crucem vexillum.

I. *Quid agitur?*

Illa portenta simul eodem tempore fieri haud potuere nisi divina omnipotentia; neque ob aliam rationem nisi intuitu mortis Christi; haec a divina omnipotentia intuitu mortis Christi effecta testimonium sunt maxime sollemne pro ipso editum, eius assertiones et doctrinam confirmans, imprimis eius stabiliens divinitatem.

II. *A quibus agitur?*

1. Considera in hoc testimonium omnium creaturarum ordines conspirare: corpora caelestia, dum obscuratur sol; terram, dum

tremit discissis petris; mortuos, dum sepulcra aperiuntur; res ordini supernaturali consecratas, dum velum templi scinditur.

2. Considera portentoso hoc testimonio effectum esse, ut centurio aliique pectora percusserint dicentes: «Vere filius Dei erat hic.» Considera hoc testimonium continuari omnibus sequentium saeculorum miraculis eumque obtinere effectum, ut innumeri alii professi sint: «Vere filius Dei erat hic.»

3. Considera totum hoc testimonium procedere ultimatim a divinitate humanitati Christi hypostatice unita, quae durante passione se absconderit, nunc patentibus et maxime mirandis effectibus se prodat; ideoque esse infallibile et ineluctabile.

III. *Quo fine agitur?*

Id omne agitur, quo simul fides fiat et Christo eiusque vexillo, ut via crucis demonstretur unica esse via a Deo consecrata salutis assequendae, ut paupertas et humiliatio Christi nobis amanda inculcentur et imitanda.

Punctum III.

Luciferi circa crucem vexillum.

I. *Quid agitur?*

Considera Christum in cruce continuo patuisse omnis generis iniuriis, et iis quidem,

quae singillatim (cf. Ps 21; Io 19, 24 36 sq) a prophetis fuerint praenuntiatae, ergo a Patre ad certum aliquem finem permissae.

II. *A quibus agitur?*

1. Considera in eas iniurias conspirare Iudaeos et gentiles, primates et plebeios; infligi iniurias verbo et actione, instigante odio (blasphemiae), cupiditate (sortes), petulantia (lancea); infligi viventi et mortuo, et eius quidem honori, bonis, cadaveri.

2. Considera eas iniurias indesinenter continuari per iniurias et persecutiones ecclesiae, quae corpus est Christi mysticum, inflictas ecclesiae honori, bonis, membris.

3. Considera haec omnia procedere ab hominum superbia, ultimatim a Lucifero, eius superbiae instigatore.

III. *Quo fine agitur?*

Id omne intenditur a Deo, quo intelligamus paupertatem et humiliationem esse veluti vestitum Christi regis eiusque sponsae ecclesiae, nos ad haec subeunda oportere esse paratos, qui Christum regem sequi decreverimus.

De mysteriis factis a cruce usque ad sepulcrum inclusive.

Primo. *Fuit depositus de cruce per Ioseph et Nicodemum,* in conspectu matris suae dolorosae.

Secundo. *Fuit* delatum *corpus ad sepulcrum, et unctum, et sepultum.*

Tertio. *Positi fuere custodes.*

Ad expressiones cf. Lc 23, 53; Io 19, 38sqq; Mt 27, 66.

Sepulturae mysterium simili ratione tertiam quartae iungit hebdomadae, atque praedicatio in templo secundam tertiae. In depositione et sepultura corporis Christi passionis utique sensus continuantur; si vero cum custodibus ad sepulcrum et cum Maria in cubiculo vigiliam agas, mox resurrectionis promissae spes ad laetiores affectus viam sternet.

Punctum I.

Christi corpus e cruce deponitur.

I. *Corpus Christi*

1. separatum exsistit ab anima, hinc rigidum, pallidum, lividum, frigidum, uno verbo *mortuum.* Considera mortem esse poenam

inflictam propter peccatum protoparentis, «in quo omnes peccaverunt»; Christum «peccatum non fecisse», neque fuisse peccato originali infectum; mortuum esse pro peccatis nostris. Recole Christi innocentiam, amabilitatem etc., atque conspecto Christi exanimi corpore intellige peccati malitiam.

2. Idem corpus perseverat *divinitati unitum,* quae utique nunc, quam maxime fieri potest, se abscondit: nullum miraculum contactus corporis operatur, nullum labia pronuntiant doctrinae aut misericordiae verbum, oculi obtutu non iam peccatorum corda emolliunt. Adest nihilominus divinitas infinitum cadaveri impertiens valorem, illud reddens adoratione dignum, pignus exsistens incorruptionis et resurrectionis.

II. *Ioseph et Nicodemus*

fide antea et caritate agebantur, sed erant nonnihil timidi; nunc virtute passionis Christi generosi effecti et fortes, non parcunt suae famae, dum Iesu discipulos se publice profitentur, non pecuniae, dum linteum et aromata coëmunt, non viribus, dum suis manibus summa reverentia corpus Christi deponunt.

III. *Maria*

tota est «dolorosa» consolationisque summe indiga, exhausta novissimorum dierum solli-

citudine; cruciatur corporis emortui aspectu et ea quam illud evocat recordatione eorum omnium, quae in hoc corpore novissimo et remotiore tempore acta sunt; opprimitur ea quam habet conscientia de filii innocentia et divinitate, atque de populi electi ingratitudine et reprobatione; frangitur sensu eius quam mors efficit separationis. — Tamen in suo dolore fortissima est, quae fortitudo ipsa est fructus passionis filii (cf. Reg. ad spir. dign. 7).

Punctum II.

Christi corpus sepulturae mandatur.

I. *Defertur.*

Quae translatio Mariae in memoriam revocat tempus, quando ipsa Dominum in utero et in ulnis gestabat, quando ipse «transibat benefaciendo» (Act 10, 38), quando ipse triumphator ingressus est Hierusalem; quae omnia finem acceperunt, non iam iteranda; tempus item passionis, quando Dominus pertrahebatur ab inimicis, quando mater illi occurrit eumque comitata est in via crucis; quae omnia praestituta fuerant a Deo atque dudum praenuntiata, gladius animam Virginis pertransiturus. Oh, quantum prius divinitas filii tot modis manifestabatur! Quantum eadem nunc se occultat!

II. *Ungitur.*

Quae unctio invitat ad iteratam considerationem omnium vulnerum, ex quorum longitudine, latitudine, profunditate concluditur ad peccati foeditatem, numinis offensi maiestatem, salvatoris caritatem. In memoriam matri revocat haec unctio omne genus sollicitudinis salvatori tam infanti quam vitam publicam agenti praestitum ad corporis cultum; in memoriam Magdalenae revocat iteratam unctionem tam amantis atque miserentis redemptoris, qui vicissim peccatricis animam sanctificante perunxit gratia. — Ea unctio adhibetur ad corpus a putrefactione defendendum, ideoque suprema est filii Dei humiliatio.

III. *Sepelitur.*

1. Sepultura in eo est, ut sit amotio corporis, tamquam ad consortium vivorum inepti; confirmatio permanentis separationis mortis tempore effectae; supremus honor exuviis praestitus, non intuitu praesentis condicionis, sed praecedentis cum anima vitae societatis.

2. Sepulturae *effectus:* inter devotas animas et inter corpus exanime salvatoris frigidus lapis interponitur, corporis aspectum praecludens atque suprema excipiens oscula;

revertitur Maria cum sociis domum, cor suum in eo specu veluti sepultum relinquens, nihil iam filii dilecti retinens praeter memoriam.

Punctum III.

Custodes sepulcro apponuntur.

I. *Custodes*

permittente Pilato apponuntur a sacerdotibus et Pharisaeis Christo infensissimis; apponuntur eo fine, ut Christi effatum: «Post tres dies resurgam», frustretur, eo praetextu, Christum esse seductorem, apostolos esse fures, totam revelationem cristianam errorum esse congeriem; adduntur milites et sigilla, qui resurrectionem vi et auctoritate reprimant. Hae sunt Luciferi excubiae prope sepulcrum Domini constitutae.

II. *Angeli.*

Deus ab aeterno Christi resurrectionem decrevit eamque verbo suo futuram confirmavit: «Scriptum est: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem», «Post tres dies resurgam». Quod Dei verbum protectio sepulcri est longe firmior sigillis et custodibus. Angeli circa sepulcrum eius verbi impletionem opperiuntur, qui natum celebraverant servatorem, ei in deserto ministraverant, gloriae Dei et reconciliationis hominum perquam

studiosi. Hae sunt excubiae divinitus prope sepulcrum constitutae.

III. *Maria et discipuli*

in domuncula orantes vigilias agunt; fide et spe resurrectionem exspectant. Hae sunt excubiae sub crucis vexillo excubantes, angelicis vigiliis foederatae, Luciferique praesidio longe efficaciores.

De resurrectione Christi Domini nostri, de prima eius apparitione.

Primo. Apparuit Virgini Mariae; quod licet non dicatur in Scriptura, habetur pro dicto, cum dicat eum apparuisse tam multis aliis; quia Scriptura supponit nos habere intellectum, sicut scriptum est: «Adhuc et vos sine intellectu estis?»

Haec a consueta punctorum forma discrepant. Primum notetur inscriptionis forma asyndetica, ubi versio vulgata inserit «et». Sane duo facta recensere videtur inscriptio, non unum aliquod appositione declaratum. Habetur vox «primo», quae semper primum punctum designat; sed non sequitur vox «secundo», et secundum inscriptionem in

priore puncto contemplanda videtur resurrectio, et nonnisi in sequente puncto prima apparitio. Scripta voce «primo» videtur sanctus Pater, omissa resurrectione, zelo abreptus esse ad illud, quod sibi maxime cordi erat in hac re, vindicare scil. primam apparitionem a quorundam cavillis. Est hoc item insuetum, ut sanctus Pater in mysteriorum punctis ad disputationem descendat, ostenditque animum honoris Deiparae tenere sollicitum. Apparitionem porro beatae Virgini factam sanctus Pater non tam e dictis in Sacra Scriptura *infert*, quam potius defendit *implicite affirmari* a Scriptura dicente Christum apparuisse «multis». Quod hoc loco deest, supplet primum in corpore libri praeambulum: «Quomodo, postquam Christus exspiravit in cruce, et corpus remansit separatum ab anima, et cum illo semper unita divinitas, anima beata descendit ad infernum, pariter unita cum divinitate; unde eripiens animas iustas, et veniens ad sepulcrum, et resurgens, apparuit benedictae matri suae in corpore et anima.»

Affectus primarius in quarta hebdomada obtinendus est, «ut laeter et gaudeam intense de tanta gloria et gaudio Christi Domini nostri» (prael. 3). Cf. add. 2. Quod amantis gaudium de gloria amati iam per se omne sacrificium nostrum levius reddet,

atque ita in tertii gradus proposito nos confirmabit. Accedunt autem aliae considerationes. Cum enim iubemur perpendere, «quomodo divinitas apparet tam miraculose», fides in Christum Dei filium confirmatur; et cum eum observamus «officium consolandi» erga discipulos suos obeuntem, spe similis gloriae obtinendae inflammamur. Hinc revocamur ad praemium in meditatione regni Christi nobis propositum, cum pro sequela Christi generatim, tum multo magis pro tertii gradus sequela.

Quartae hebdomadae mysteria in quasdam classes distribui possunt: apparitiones a prima ad quintam singulis vel paucis personis concedebantur; quae sequuntur a sexta ad decimam, publicae potius dicendae erunt; eas ab undecima ad tertiam decimam accessorias vocamus, quod vix mentionem earum habeat Scriptura et, si de S. Pauli conversione agatur, notabile tempus intercesserit; claudit seriem ascensionis contemplatio.

Privatae apparitiones illae nobis inculcant regulam, ea nos proportione fore consolandos gloria Christi, qua participes fuerimus eius passionis. Primus ipse Christus consolationem accipit in anima et corpore, postea animas in limbo adventum suum diu praestolatas solatur, inde matrem et post eam Magda-

lenam, quae sub cruce adstiterant, dein alias mulieres, quae prope crucem constiterant, Petrum, qui in atrium pontificis secutus fuerat, duos tandem quosdam discipulos. Ita confirmatur illud regni Christi: «ut sequens me in poena, etiam sequatur me in gloria», quod in «tantum — quantum», sancto Patri tam familiare, resolvitur. — Istud praeterea earum apparitionum proprium est, ut sequentibus publicis apparitionibus sudordinentur. Duos illae fines habent saltem aeque principales, quorum alter est, ut is, cui Dominus apparet, solamen accipiat, alter, ut idem resurrectionis nuntius ad apostolos properet. Mittitur ad apostolos Magdalena: «Vade autem ad fratres meos» (Io 20, 17); mittuntur reliquae mulieres (Mt 28, 10): «Ite, nuntiate fratribus meis»; Petrus ilico cucurrit et nuntiavit (Lc 24, 34), item duo illi discipuli (Lc 24, 33), vel explicitum Christi mandatum exsecuti, vel eius mentem interpretati. Eae igitur apparitiones omnes simul rationem habent nuntii ad apostolos missi, eos ad publicas illas apparitiones praeparantis, quae eo facto potioris in quarta hebdomada momenti esse demonstrantur.

Porro, quid *publicis apparitionibus* actum sit, indagemus. Et in sexta quidem apparitione, cuius septima nonnisi complementum

est, potestas apostolis datur remittendorum peccatorum, in octava S. Petro primatus confertur, in nona tribuitur apostolis omnis potestas cum munere praedicandi et baptizandi. Quibus factis *institutio ecclesiae* circumscribitur. Non alibi igitur in praesenti vita nobis quaerenda consolatio, non alia securitas, nisi ut cum ecclesia simus uniti, cum ipsa sentiamus. Intra ecclesiam eamque solam defendimur a malo, pascimur pane vitae, Sanctum Spiritum, omnis gratiae et vitae largitorem, accipimus.

Obscurior *apparitionum accessoriarum* scopus, quae utique minoris ceteris sunt momenti. Videtur sanctus Pater omnes omnino apparitiones, quarum Scriptura vel Traditio meminit, voluisse in hunc locum congerere, quo altius assidua repetitione quartae hebdomadae sensus animis imprimerentur.

Difficultatem aliquam parit decima tertia apparitio, quae prima fronte materias valde disparatas in unam contemplationem congerere videtur: apparitionem scil. Saulo in itinere damasceno factam, Christi in limbum descensum omnesque dein summatim apparitiones. Error aliquis evidenter subest, qui sequenti forte ratione corrigendus erit. Decimam tertiam apparitionem ad sola haec verba limitamus: «Apparuit S. Paulo post

ascensionem: (Novissime tamquam abortivo visus est mihi).» Sequentia a linea ponimus: «Apparuit etiam in anima Patribus sanctis limbi, et postquam eos inde eduxisset et corpus iterum assumpsisset, multis vicibus apparuit discipulis et conversabatur cum illis.» Quae verba summam nobis exhibent alicuius contemplationis totam quartam hebdomadam repetentis eo modo, quo pro septima tertiae hebdomadae die iubebamur repetitionem universae passionis instituere. — Ad apparitiones undecimam et duodecimam, S. Iacobo et Iosepho ab Arimathaea factas, cf. Ludolph II 75, 2 sq.

Punctum I.

Animae Christi glorificatio.

I. *Corpus Christi*

«remansit separatum ab anima», rigidum et frigidum, expers motionis et vitae, Ss. Corde ipso discisso et contracto, cadaver; tamen erat «cum illo semper unita divinitas», nulla quidem sensibili ratione suam in eo corpore praesentiam manifestans, attamen hoc emortuum corpus veluti perungens, a corruptione defendens, et resurrectioni praeservans, illi infinitum conferens pretium atque dignitatem, illudque constituens angelis adorationis obiectum.

II. *Anima Christi.*

1. Ipso post mortem instanti conscientia «consummati» operis animam Christi ineffabili inundat dulcedine; quae sibi «derelicta» visa erat a Patre, in eius manus «commendata», iam in Patris evigilatur suavissimo amplexu. Hinc anima

2. superabundat gaudio ex sua cum divinitate *unione,* trium divinarum personarum et speciatim Spiritus Sancti, qui Paracletus est, inhabitatione, quae omnia, durante mortali vita, non ita intime senserat;

3. hinc, in Spiritu Sancto illuminata lumine gloriae, *beatur* visione Dei intime et permanenter praesentis: beatur insuper eorum omnium cognitione, quorum in passione consideratione cruciabatur; praeteritorum, praesentium, futurorum, intimarum cordium cogitationum, item totius mysterii redemptionis, per tot saecula et in tam innumeris individuis ad Dei gloriam adimpleti;

4. summa in Spiritu Sancto fruitur *pace,* omni quo prius torquebatur sublato angore. Sublatus quippe est *dolor separationis,* quo in mysterio coenae Dominus cruciabatur. Non iam superest dolor in anima ob separationem a corpore in cruce pendente, cum illud sciat unitum esse divinitati, quae vita est, et reservari resurrectioni brevi futurae;

unde exsultat anima illis verbis: «Post tres dies resurgam.» Neque superest dolor ob separationem ab apostolis, exsultat quippe anima illis verbis: «Non relinquam vos orphanos.» Nullus superest angor respectu ecclesiae condendae, stabilietur illa quippe firmissime, Spiritu Sancto per infirma mundi confundente fortia; nullus angor respectu populi electi, cum novum Israel iam sit acquisitum sanguine salvatoris. Sublata est *agonia*, qua Ss. Cor inde ab horto afflictabatur: devicta quippe est mors, haustus calix, deletum peccatum, acquisita perenniter bona universa. — Cessaverunt *cruciatus* omnes.

5. Gloria divinitatis animae unitae in ipsam Christi animam transfunditur eamque *glorificat*.

Punctum II.

Animae Christi ad inferos descensus.

I. *Locus*

non est infernus, incolae quippe peccati mortalis non sunt rei; non est purgatorium, incolae enim carent omni vel levi reatu poenae vel culpae; non est caelum, quod protoparentum culpa clausum manet adhuc: est limbus, receptaculum animarum sanctarum, redemptoris adventum exspectantium. Locus est non libertatis, sed detentionis, non pacis perfectae, sed exspectationis, non gloriae, sed obscuritatis.

II. *Incolae,* exspectantes consolationem Israel.

1. Israel Dei electum, Hierusalem sancta, animae ab omni reatu solutae, virtutibus et meritis ornatae;

2. exspectantes — S. Ioannes Baptista et S. Iosephus inde a paucis annis, Simeon et Anna a pluribus annis, prophetae et reges a saeculis, Adam et Eva inde ab initio mundi: constanter, patienter, ardenter,

3. consolationem; — audi eorum supplicationes: *Requiem* aeternam dona nobis Domine, et *lux* perpetua luceat nobis; requiescamus in *pace. Libera* nos, Domine, de profundo lacu; fac nos de morte transire ad *vitam.*

III. *Anima Christi*

1. *descendit,* sua veluti gloria se resurrectionem proclamans et vitam. Considera in sanctis animabus affectus adorationis, et praeterea laetitiae correspondentis cuiusque statui: patriarcharum de tali prole, regum de tali successore, prophetarum de tali vaticiniorum impletione, S. Iosephi, S. Ioannis Baptistae; — in anima Christi gaudium apostolicum de harum animarum redemptione, et exsultationem de passione, qua ea redemptio effecta est;

2. «*eripit*»: transfundit in illas Sanctum Spiritum, Paracletum seu consolatorem; simul eas participes facit suae gloriae et pacis, unde subito limbus mutatur in paradisum, animaeque inundantur plenitudine vitae, lucis, requiei, pacis, libertatis. — Considera eam glorificationem fieri proportionatam meritis singulorum, quae rursum proportionantur passionibus, quas illi, ad instar redemptoris, in mortali vita pertulerant. — Existimant vero illae animae ea glorificatione sibi abunde factum esse satis, non solum pro vitae mortalis passionibus, sed pro tam diuturna insuper in limbo exspectatione.

Punctum III.

Christi resurrectio.

I. «Veniens ad sepulcrum.»

1. Considera gloriosum animae Christi adventum, sanctis Veteris Testamenti et angelis stipatae, ad corpus e cruce ad ulteriorem sepulturae humiliationem iam translatum. Contemplare hoc corpus, quale fuerat cum ab illo anima separaretur, emortuum, sed nunc praeterea cor habens diffissum; totum nunc unctum ad naturalem corruptionem excludendam; involutum linteo funebri, tamquam ad omnem usum vitae inutile; conclusum sepulcro, a consortio viventium penitus separatum.

Considera sensus, quibus hoc corpus contemplantur animae sanctae Veteris Testamenti, illud divinitati unitum adorantes, ex vulnerum profunditate mensurantes tormentorum servatoris acerbitatem, peccati foeditatem, caritatis Dei et Christi intensitatem; sensus, quibus idem contemplatur anima Christi, pretium vel unius animae redemptae cum iisdem conferens vulneribus, atque de illis acceptis exsultans.

II. «Et resurgens.»

1. Considera lege divina sancitum esse, ut qui participes fuerint crucis Christi, participes etiam fiant gloriae Christi; ut tantum et eo ordine participent de gloria, quantum et quo ordine participaverint de passione: unde necesse fuit primum omnium ad participationem gloriae vocari corpus illud, quod in tota passione animae tam intime fuerat unitum.

2. Considera divina virtute corpus Christi in instanti restitutum esse ita, ut vitae glorificatae aptum exsisteret instrumentum; resolutum esse membrorum rigorem, rediisse calorem et colorem, vulnera, praeter quinque illa evanuisse; hinc animam corpori rursum esse unitam, cor rursus coepisse pulsare, oculos esse apertos et labia. Hinc animae gloria ilico ipsum corpus pervadebat, indissolubilem

iam efficiebat animae corporisque immortalem unionem, totum corpus reddebat clarum et resplendens in sua externa specie, agile in sua motione, subtile et hinc impassibile in contactu aliorum obiectorum. — Confer superabundantiam gloriae et aeternitatem cum exiguitate et brevitate passionum.

3. Considera sanctos et angelos corpori Christi redivivo reverentiam exhibentes, et cum Christo sepulcro, immoto lapide, excedentes; audi angelos, qui circa sepulcrum excubias egerant, triumphale praecinentes Alleluia.

Punctum IV.

Christi prima apparitio.

I. Ante apparitionem.

1. Erat lege divina sancitum, ut singuli in tantum eoque ordine resurrectione Domini laetificarentur, in quantum et quo ordine cruci eius prope adstitissent; unde prima omnium beata Virgo laetificanda fuit.

2. Ipsa erat humilis ancilla Domini, «benedicta mater» Christi, gratia plena, cuius nunc gladius pertransierat animam, quae nunc ab inferno Herode oppressum conspexerat filium, nunc morte abreptum amiserat. Sensus cordis eius: intimus de passione filii dolor, firma fides clare ex filii verbis intellectae futurae

resurrectionis, spes et exspectatio: hinc in eius corde sensus tristitiae magis magisque cesserant sensibus spei et ardentissimi desiderii, qui vividissimi tum erant, quando tertia iam illucescebat dies.

II. In ipsa apparitione

Maria agnoscit faciem et vulnera filii, nunc splendorem emittentia; agnoscit vocem, fruitur amplexu. Simul clare intelligit eum nunc vivere vitam beatam, gloriosam, immortalem, completum tandem esse opus redemptionis humanae, indubie esse coram universo mundo demonstratam divinitatem filii, certam esse «resurrectionem multorum».

III. Post apparitionem

Maria cogitat se filium brevi rursum apparentem visuram, et post vitae reliquum cum eodem aeternum in caelo esse futuram. Repetit «benedictiones» tota vita sibi collatas, hac ultima benedictione consummatas; in illis agnoscit Dei omnipotentiam, sanctitatem, misericordiam, eumque magnificat.

De secunda apparitione.

(Mc 16, 1—6.)

Primo. *Eunt valde mane Maria Magdalene, Iacobi et Salome ad monumentum dicentes:* «*Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?*»

Secundo. *Vident lapidem revolutum et angelum, qui dicit:* «*Iesum quaeritis Nazarenum: surrexit, non est hic.*»

Tertio. *Apparuit Mariae, quae* remansit *iuxta sepulcrum,* postquam abivissent ceterae.

Cf. pro tertio puncto Io 20, 11 sqq, ubi pro «remansit» legitur: «stabat ad monumentum foris».

Punctum I.

Mulieres eunt ad sepulcrum.

I. *Personae.*

1. Eaedem erant *mulieres,* quae in Galilaea secutae fuerant Christum eique ministraverant, quae cruci adstiterant et sepulturae interfuerant (Mc 15, 40 sq); ergo, quae Iesu fide, spe, caritate adhaeserant. Eae, dum Dominus sepeliretur, attente notaverant sepulcrum et rationem, qua corpus ibi positum

erat, item domum reduces eo ipso die paraverant aromata (Lc 23, 55 sq), ut Dominum ungerent, in ostensionem fidei et amoris. Et sabbato quidem siluerant, reverentia praecepti, iugiter tamen animo recoluerant sepulcrum corpusque emortuum in eo repositum; die vero sequenti sabbatum veniunt «valde mane», pretioso atque copioso unguento onustae, pro caritatis et devotionis intensitate. Veniunt, ut corpus ungant; ut signum reverentiae exhibeant corpori a Iudaeis tot opprobriis onerato; ut unicum illi, quod iam penes eas est, officium praestent, retardandae corruptionis.

2. Reliquis anteit *Maria Magdalena*, in evangeliis constanter primo loco nominata; maiorum miserationum particeps effecta, firmiore fide et ardentiore caritate Domino adhaeret. Ipsa consilium ungendi corporis suggesserat, ipsa sepulcri et corporis adiuncta altissime animo impressa gestaverat.

II. *Sensa.*

1. Affectae erant mulieres magna *tristitia*, ob passionis et mortis Christi recordationem, et propter lugubre ad quod nunc pergebant officium.

2. Angebantur *sollicitudine* respectu suscepti operis ad finem perducendi, propter lapidis molem claudentis monumentum; affi-

ciebantur *timore* Iudaeorum atque sepulcri custodum, qui timor etiam auctus est, cum terra sub earum pedibus contremuit.

3. Tamen procedebant, fide et caritate tristitiam timoremque superantibus, *consolationis* summe indigae, eademque ob fidem et caritatem etiam dignae.

Punctum II.

Mulieres de resurrectione edocentur.

I. *Consolationem accipiunt,* dum «vident lapidem revolutum», atque hinc earum *sollicitudo* et *timor* minuuntur.

1. Lapis revolutus, cui insidet angelus, manifestat Christi *potentiam* comparatam inimicorum *impotentiae*. Christus quippe intelligitur potentior esse morte et terra et angelis, dominus miraculorum et prophetiae, qui nequaquam appositis custodibus et sigillis cohiberi queat. Manifestat

2. Christi *auctoritatem,* maiestatem et gloriam, comparatam inimicorum *inaniae*. Manifestat

3. Christi *sapientiam* comparatam inimicorum *stultitiae*. Ille ipsos inimicorum custodes nuntios suae resurrectionis, lapidemque sui angeli thronum facit, dum illi lapide, sigillis

atque custodibus omnipotentiam Dei retardare conabantur. Manifestat idem lapis

4. Christi *caritatem*, hoc ipso miraculo Iudaeos ad fidem invitantis, simulque inimicorum *obdurationem*, fabulam de corpore furto a discipulis sublato effingentium.

II. *Consolationem accipiunt*, dum angeli alloquio *tristitiae* causa adimitur:

asseritur Iesus redivivus: «Surrexit». Permittuntur illae locum, quem tam accurate notaverant, inspicere: «Videte locum, ubi posuerunt eum», ut penitus intelligant et locum eundem esse et corpus in eo non reperiri, atque profecto Christum esse redivivum. Honorantur missione ad apostolos: «Sed ite, dicite discipulis eius et Petro, quia praecedet vos in Galilaeam.» Recreantur promissione futurae aliquando apparitionis: «Ibi eum videbitis.» Quibus omnibus, uti etiam additis verbis: «sicut dixit vobis», edocentur, quantum Christus redivivus de ipsis sollicitus sit, haud minus atque durante mortali sua vita sollicitus fuerat.

Punctum III.

Christus Magdalenae apparet.

I. *Magdalena*

1. peccatis aliquando plus quam reliquae fuerat implicata, postea vero, caritate fer-

ventior, cruci propius adstitit, ideoque nunc prima post beatam Virginem Christi apparitione recreatur. Eius vera erat fides, sed confusa, mysterii crucis et resurrectionis ignara; ardens caritas, sed nunc unice in expletionem eius quod ipsa sibi effinxerat desiderii directa, ungendi cadaveris Domini.

2. Hinc in Magdalenae actibus continuo permiscentur natura et gratia, fides et error. — Ex facto remoti lapidis, ne inspecto quidem sepulcro, veram derivat conclusionem: Non est hic; cui ilico alteram falsam subnectit: Tulerunt Dominum de sepulcro. Unde totus iam animi vigor solutioni huius problematis impenditur: «Nescimus, ubi posuerunt eum». Quod problema est prorsus ficticium. — Cum nequeat ipsa iuxta vacuum sepulcrum quieta consistere, currit ad apostolos Christo coniunctissimos, quamvis praevideat se ab iis problematis solutionem edoctum non iri. — Neque ibi subsistere valens, revertitur ad sepulcrum, quod vacuum esse novit, et cum inde quo confugiat nesciat, subsistit tandem et lacrimis ob amissum salvatoris cadaver indulget. — Mox, ne in his quidem quiescere valens, prospicit in sepulcrum, probe sciens corpus ibi non reperiri. — Aspectu angelorum nequaquam edocetur gratuito se sublatum a quibusdam cadaver effingere, neque ad noti-

tiam resurrectionis manuducitur; iis, amice quaerentibus, abrupte respondet: «Quia tulerunt dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum.» — Convertitur, circumspicit aliquod amissi corporis vestigium. Viro venerabili et ignoto, amice causam lacrimarum exquirenti, non aliud respondet, quam ut ei sublati cadaveris suspicionem affigat. — Protestatur se, infirmam mulierem, cadaveris molem esse ablaturam, cum tamen nullus sit locus, quo illud asportare decenter atque utiliter possit.

II. *Iesus,*

1. quando Magdalena peccatrix convertebatur, eius amore exarsit; qui amor, pro portione caritatis Magdalenae, continuo crevit; pro ipsa sanguinem dedit et vitam. Ab instanti mortis in cruce, gloriosa anima eius flagrabat desiderio eius consolandae; id ipsum cor eius redivivum appetebat; ad hoc angelos misit ad locum sepulcri.

2. Videt fidem, caritatem, errorem: non ideo ab ea alienatur, sed in omnibus erroribus confirmat fidem, inflammat caritatem. Tandem plenissime eam consolatur voce, apparitione, vulnerum aspectu; admittit tactum, oscula.

III. *Magdalena.*

1. Considera plenitudinem caritatis, gaudii et consolationis hac una voce «Rabboni» expressam.

2. Iesus sinit eam suo modo consolatione frui, i. e. procidendo, pedes prehendendo, osculando, lacrimis lavando; et quidem satis longo tempore, donec dicit: «Noli me tangere», seu accuratius secundum graecum: Noli me ita manibus premere, «nondum enim ascendi ad Patrem meum»; erit tibi igitur etiam insequentibus diebus occasio pedum meorum amplectendorum. Praeter quam promissionem Iesus honorat eam mittens nuntiam ad apostolos.

3. Considera Magdalenam ad apostolos festinantem, totam repletam et recreatam hac una cogitatione: «Vidi Dominum, et haec dixit mihi.»

De tertia apparitione.

(Mt 28, 8—10.)

Primo. *Exeunt istae Mariae e monumento cum timore et gaudio magno,* volentes *annuntiare discipulis resurrectionem Domini.*

Secundo. *Christus Dominus noster illis apparuit* in via, *dicens illis: «Avete»; et illae accesserunt et* prostraverunt se *ad eius pedes et adoraverunt eum.*

Tertio. *Iesus dicit illis: «Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt.»*

Matthaeus pro «prostraverunt se ad eius pedes» habet: «tenuerunt pedes eius». Fortasse hic licet conferre secundae hebdomadae primi diei contempl. 5, cum nota 31 a R. P. Roothaan subiecta. — Praeter Mariam Magdalenam una in evangeliis Maria Iacobi Mariae appellatione insignitur; sed Ludolph II 70, 1 novit etiam «Mariam Salome», quae Mc 15, 40; 16, 1 scribitur Salome tantum, novit «tres Marias»: hinc «istae Mariae».

Punctum I.

Mulieres exeunt e monumento.

I. Gaudium

1. ob remotas plures prioris *timoris* causas: lapidem, custodes etc.;

2. ob excitatam resurrectionis Christi *fidem;* quod gaudium proportionatur priori tristitiae, estque de vita Christi restituta, de pleniore eius vaticiniorum intellectu, de angeli alloquio, de commisso sibi tam honorifico ad apostolos nuntio;

3. ob redintegratam *spem* restituendi regni Israel, eiusque benedictionum sibi et aliis

communicandarum; quod gaudium proportionatur priori deiectioni;

4. ob inflammatam *caritatem:* certae quippe iam sunt dilectum vivere neque procul abesse; norunt se eius aspectu et societate brevi esse fruituras.

5. Considera hoc gaudium a Iesu concessum, opera Sancti Spiritus per corda diffusum, purum et clarum a principio ad finem, immediate in anima generans «voluntatem» implendi mandati ab angelo accepti et impellens ad exsecutionis ilico initium faciendum.

II. Timor.

1. Considera Sanctum Spiritum non procedere violenter, sed priorem dispositionem gradatim in perfectiorem mutare. Quare primum una cum magno gaudio in animis mulierum exsistit magnus timor ob subitum de tristitia ad gaudium transitum, ob terrae motum angelique apparitionem etc.

2. Considera eum timorem Sanctum Spiritum non aegre ferre, sed suam humanae infirmitati adaptare gratiam, singulis gressibus minuere timorem et gaudium augere.

3. Considera Christum invisibiliter adstantem, atque in eo sibi timore et gaudio complacentem.

Punctum II.

Christus mulieribus apparet.

I. Consolationis tempus.

1. Festinat eas consolari «in via», «volentes nuntiare», contentus bona voluntate neque praestolatus perfectum opus, non exspectatus, non rogatus, ipse ut consoletur suos sollicitus.

2. Praeter futuram apparitionem iam promissam, aliam non promissam praesens largitur.

3. Neque exspectat, donec omnem mulieres exuerint timorem omnibusque numeris sint perfectae.

II. Consolationis modus.

1. *Christus* mulieribus apparet, eas recreans aspectu, vocis sono, alloquii suavitate, iunctis internae illustrationi et motioni; consolans totum hominem, intellectum, voluntatem, sensus; augens fidem et caritatem, compescens timorem, in immensum augens gaudium.

2. *Mulieres* his sensibus incensae «accedunt» proxime ad eum, quem in perpetuum a se avulsum aestimaverant; «prostratae adorant» filium Dei; infimum «ad pedes» sibi eligunt locum, a pedibus vero attingendis videntur abstinuisse prae reverentia. Quos pedes secutae fuerant praedicantis regnum

Dei, transfixos doluerant in cruce, laverant et unxerant in sepultura, nunc gloriosis vulneribus insignitos agnoscunt. O quam vilia videntur unguenta allata, horum pedum caelesti fragrantiae comparata!

Punctum III.

Christus mulieres alloquitur.

I. *Timere vetantur.*

«Nolite timere» mecum redivivo versari meque contrectari: *vester sum.* Noster est Christus, corporis et animae vires nostrae impensurus saluti, idque efficacius etiam quam ante, quando anima et corpus nondum fuerant glorificata; diutius quam ante, quando nondum concessa erat immortalitas. Nostra sunt vulnera et cor sedentis ad dexteram Patris ibique interpellantis pro nobis. — «Nolite timere» ob vestram indignitatem: videtis enim, qua vos benignitate redivivus requiro.

II. *Nuntiae mittuntur.*

Honorantur mulieres, dum ita ad apostolos deputantur. Voce «fratribus meis» edocentur de intima Iesu gloriosi cum apostolis et etiam secum ipsis affinitate. Promissione alterius apparitionis laetificantur. Unde consolatione repletae a glorioso tandem servatore discedunt.

De quarta apparitione.

(Lc 24, 9—12.)

Primo. Cum audisset ex mulieribus Christum resurrexisse, ivit *cito S. Petrus ad monumentum.*

Secundo. *Intrans in monumentum vidit sola linteamina,* quibus coopertum fuit corpus Christi Domini nostri, et nihil aliud.

Tertio. Cogitanti S. Petro de his rebus *apparuit Christus; et propterea dicebant apostoli: «Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.»*

Cf. Io 20, 2—10 et Lc 24, 9 34. — Io 20, 4 dicuntur «cucurrisse» ambo, Ioannes autem Petro citius cucurrisse; sanctus Pater veluti modestiam commendans ait: «ivit cito». — Io v. 10: «Abierunt ergo iterum discipuli ad semet ipsos»; quod applicans S. Petro scribit sanctus Pater: «Cogitanti S. Petro de his rebus».

Punctum I.

Petrus venit.

I *Petrus amat.*

Petrus *credit,* sed eius fides plurima laborat obscuritate, maxime quod attinet vaticinia

futurae resurrectionis. *Sperat,* quippe spem resuscitavit Christus lapsum intuitus miserans: sed reprimitur simul spes conscientia admissi peccati. *Amat,* amorem quippe inflammavit contritio; cuius amoris fructus est *pius credulitatis affectus,* paratus etiam resurrectionem, si ita res tulerit, admittere.

II. *Petrus audit.*

Effectu piae huius credulitatis non reputat mulierum verba deliramenta esse (Lc 24, 11), sed continuo admittit aliquid illis veritatis utique subesse posse, licet quae sit ea veritas ob imperfectum vaticiniorum intellectum definire nondum valet. Hinc desiderat et quadamtenus iam sperat verbis mulierum facta concordare; resurrectionis non solum possibilitatem, sed immo probabilitatem perspicit, caritate impellitur ad rem omni studio investigandam.

III. *Petrus vadit.*

Divinae gratiae obsecutus «ivit», quorundam haud deterritus irrisionibus; ivit «cito», magna actus caritate et spe; et quo longius progrediebatur, eo magis augebantur spes et caritas, eo magis laeta increscebat exspectatio gressusque accelerabantur.

Punctum II.

Petrus credit.

I. *Petrus intelligit.*

Remotum conspicatus lapidem, ilico infert verum esse, quod retulissent mulieres, Christum non esse ibi; simul ex tam nitide compositis linteaminibus (Io 20, 6 sq) concludit falsum esse, quod subiecit Magdalena, Christi corpus violenter esse abstractum. — Mulierum relationem de lapide remoto cernens factis consonare, infert reliqua etiam adiuncta visionis angelorum et alloquii vere ab illis fuisse relata; idque infert, quamvis ipse nihil horum immediate percipiat. — Ex ea authentica relatione cum vaticiniis hucusque sibi obscuris collata concludit visionem illam vere angelorum fuisse Christumque vere a mortuis surrexisse. — Hinc clarissima lux in plurima hucusque obscura diffunditur, in ea, quae dicta fuerant de templo destruendo et triduo reaedificando (Io 2, 19), in ea, quae ultimo itinere in Hierusalem et inde in hortum fuerant dicta (Mt 17, 22; 26 32), et imprimis in acta occasione transfigurationis. Mc 9, 9: «Et verbum continuerunt apud se, conquirentes, quid esset: cum a mortuis resurrexerit.»

II. *Petrus secum cogitat.*

Repletur admiratione et gaudio: «abiit secum mirans». Reviviscit clarissima spes regni Israel restituendi. Augetur peccati admissi cognitio et dolor. Vividius sentit, quam sit ipse indignus, qui apparitione recreetur et ecclesiae caput constituatur. Hinc «abiit», nullo porro resurrectionis indigus argumento, nullam sibi exspectans consolationem seque indignum plane reputans, qui tam sacra loca calcaret: incedebat tamen tanto lentioribus gressibus, quanto longius a sepulcro recedebat illisque linteaminibus, supremis amatissimi magistri vestigiis. Crescebat singulis passibus propriae indignitatis sensus, contritio. Non tamen ita suis absorbebatur rebus, ut omiserit alios de Christi resurrectione certiores facere; quod patet collatis Lc 24, 24 34.

Punctum III.

Petrus videt.

I. *Christus.*

1. *Persona.* Christus apparet Petro specie non aliena (hortulani, viatoris), sed propria. Apparens demonstrat resurrectionem, vulnera pandunt nexum inter humiliationem crucis et gloriam. Obtutus laetus, non uti

in via ad hortum severus et tristis; amicus, plenam exprimit ante actorum veniam, confirmat nomen collatum Petrus et primatus factam promissionem.

2. *Verba.* E vocula «apparuit Simoni» non perspicitur, sitne Iesus locutus ad Petrum necne. E Lc 24, 12 et Io 20, 3 sqq potius intuleris, Petrum non renuntiasse apostolis verba aliqua Iesu.

Primi testes omnes vident sepulcrum apertum et linteamina composita. Praeterea mulieres vident Christum specie propria, non tangunt, brevi alloquio salutantur, accipiunt mandatum. Magdalena Christum videt specie primum aliena, dein propria, tangit, audit verba pauca, accipit mandatum. Petrus videt specie propria, non tangit, verba uti videtur audit nulla, mandatum verbis non accipit, sed opere exsequitur.

«Divisiones gratiarum sunt ... unus autem Dominus». Una in hisce omnibus caritas correspondens indoli et condicioni singulorum, affectui Iesu, bono ecclesiae, eruditioni nostrae. Cavendum *invidia spirituali* de donis aliis a Deo concessis.

II. *Petrus*

certus fit de resurrectione Christi («Surrexit Dominus vere») atque de plena sibi concessa

venia. Firmissimam spem concipit restitutum iri regnum Israel, etiam per se. Humillime sentit de se, cui haud merenti tot gratiae conferuntur. Ardet caritate generosa: «Amo te» (Io 21, 15), eaque motus vadit atque resurrectionem apostolis renuntiat.

De quinta apparitione.

(Lc 24, 13—34.)

Primo. *Apparet discipulis, qui ibant in Emmaus loquentes* de Christo.

Secundo. Reprehendit illos, *ostendens per Scripturas, quod Christus debebat mori et resurgere: «O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?»*

Tertio. Ad preces illorum remanet ibi et fuit cum illis, *donec data ipsis* communione *disparuit; et ipsi revertentes dixerunt discipulis, quomodo cognovissent eum in* communione.

Punctum I.

Christus apparet.

I. *Discipuli*

1. adhaeserant Christo cum vera fide, spe et caritate; nunc autem, intercedente «scandalo crucis» (1 Cor 1, 23), devenerant in summam ob illud scandalum *perplexitatem*. Iesum fatentur esse prophetam, eius miracula genuina, eius doctrinam divinam, quam tamen eius excellentiam cum exitu tam miserando componere non valent; agnoscunt Messiam, sed omissam regni Israel restitutionem queruntur. Hac tertia die corpus eius exanime desideratur, quidam visiones praetendunt; sed ipse non comparet, et omnia incerta remanent. — Item devenerant in summam *tristitiam* et *deiectionem* ob ea omnia, quae superioribus diebus acciderant; ob praesentem rerum omnium incertitudinem; ob prioris, uti arbitrabantur, spei frustrationem: «sperabamus».

2. Hinc consortii apostolorum pertaesi, ipsius S. Petri de resurrectione (cf. v. 24) asseverationem neglegentes, secedunt loco, ubi perplexitate et tristitia magis magisque opprimuntur, solitario colloquio levamen quaesituri: qua tamen erga Christum tenentur caritate, abstinere non possunt, quominus de

eo loquantur; quo colloquio, aspirante Christi gratia, et tristitia lenitur et caritas augescit.

II. *Iesus*

1. stigmata fert crucis, radiantia gloriam, «Dei virtutem et Dei sapientiam» (1 Cor 1, 24). — Haec vulnera crucis iam sunt lex mundi: quamdiu haec vulnera gloriosa radiabunt, per sola vulnera et crucem erit aditus ad gloriam. — Cor Iesu, in cruce diffissum, nunc redivivum flagrat desiderio per legem crucis mundum salvandi; hinc Iesus, tamquam pastor bonus, oves deviantes nequaquam repudia sed amanter prosequitur et per sapientiam crucis instruere, per eius virtutem salvare studet.

2. In quo tamen opere gradatim procedit (cf. de vex.); saepe in desolatione, quin advertamus, nobis adest (Reg. ad spir. dign. 7); nostris defectibus et imperfectionibus, quominus suam nobis manifestet praesentiam, praepeditur (ib. reg. 9). Apparet igitur illis discipulis specie primum non sua, sed viatoris, qui ipsos pulvere conspersus in itinere assequatur, aspectu venerabilis et benevolus, qui deiectis compatiatur, verba misceat amice atque interrogatos inducat, ut totam maeroris causam ipsi effundant atque vel eo iam oppressos animos quadamtenus sublevent.

Punctum II.

Christus loquitur.

I. *Reprehendit.*

1. Pronuntiat verba: «O stulti et tardi corde» etc.; ubi consideres vocis, oris et obtutus suavitatem, qua ea verba proferuntur, audientesque delectant et in iis salutarem ignorantiae pudorem excitant.

2. Mentio omnium, «quae locuti sunt prophetae», et in loquente profundum prodit Scripturae intellectum, et in audientibus desiderium, ut ab eo edoceantur, excitat, sicut etiam in talem magistrum summam confidentiam.

3. Succincte enuntiatur thesis, ob cuius ignorantiam discipuli reprehenduntur: «Haec oportuit» etc. Proponitur autem ea per modum interrogationis: «Nonne» etc., veluti thesis ita affirmanti sit evidens, ut sola eius enuntiatione audientium assensum elicere se posse arbitretur.

4. Tandem reprehensionem complet et feracem reddit subnexa instructio.

II. *Docet.*

1. *Quid docet?* Docet necessitatem crucis ex divino decreto: «Haec oportuit pati Christum»; excellentiam gloriae: «intrare in gloriam suam»; necessarium inter utrumque

nexum: «et ita», ut gloria sit crucis remuneratio eique omnimode proportionetur. — Haec exponit quam maxime complete: «incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant»; singula explicat, diversa comparat. — Adverte fervorem et consolationem, qua disserit de Patris decreto crucem ordinantis, de ineffabili gloriae excellentia, de ipso crucis mysterio, pandens in illo Dei sapientiam, Dei virtutem, Dei misericordiam; de Israel spirituali.

2. *Quomodo docet?* Discipulis se exhibet ut virum ipsis penitus ignotum, eorum, quae acciderant, plane ignarum, ergo nullo partium studio affectum (modus 2 elect. reg. 2). Discipulos primum sinit liberrime quid sentiant eloqui. Suam opinionem profert non ut suam, sed ut prophetarum. Omnia adamussim explicat, explicata, ubi opus, repetit, summa comitate et patientia.

Docet, non uti docebant scribae, interpretationem literae servam, spiritu ieiunam, rigidam, frigidam, arrogantem, admiscentem divinis humanas traditiones. Docet viator uti Christum audierant scripturas interpretantem, spiritum viventem in litera, literam illuminantem, literae lumine foventem cor (Lc 24, 32).

3. *Quo effectu docet?* Continuo auget auditorum in se fiduciam, perplexitatem removet, spem revocat, tristitiam dispellit. Claram ex scripturis componit imaginem Christi; firmissimam iam effectae resurrectionis, ex mulierum et S. Petri testimonio cum Scripturis comparato, generat fidem; caritatem inflammat, ardentissimumque excitat fruendi Christi praesentia desiderium. Tandem simul constanter sui, i. e. ignoti viatoris, in cordibus discipulorum fovet atque purificat amorem, ut in ipso magis semper percipiant absolutum cordis et mentis cum Christi corde et mente consensum, atque in ipso ament Christum, omnemque in Christum transferant amorem, et ita praeparentur ad sequentem consolationem per Christi praesentis manifestationem.

Punctum III.

Christus manifestatur.

I. *Christus*

1. *manet.* Apud eos manere volens, fingit se longius ire, ut eius praesentia tanto ardentius desideretur et expetatur. Discipuli vero cooperantur gratiae acceptae viatorem ut maneat compellentes; quod faciunt, non solum ut ei hospitium praebeant nocturnum,

sed ut eius societate fruantur atque in fide et caritate Christi proficiant. Nolebant enim sermonis de Christo in scripturis praefigurato carere conclusione: rogarunt ergo, institerunt ac tandem viatorem, qui invitus videbatur, ut maneret coegerunt.

2. *Christus communionem dat.* Considera intimae familiaritatis sensum, quo discipuli una cum viatore mensae accumbunt, ob praevii itineris societatem, ob dispulsam eius alloquio omnem eorum perplexitatem et tristitiam, tantamque eius mentis cum Christi mente affinitatem; ut vividissime in eorum animis revivisceret recordatio eius temporis, quo cum Christo et apostolis mensae assidere consuevissent. — Considera hunc sensum mirifice esse auctum, ubi viator eodem quo Christus consueverat gestu panem accepit, eodem ritu ac voce eidem benedixit; unde discipuli, oculis in eius faciem attentius defixis, subito agnoverunt Iesu vultum, obtutum, personam, suavissimaque perfundebantur consolatione. — Considera Iesum in ipso sacrae communionis momento disparentem, et ita novo miraculo veritatem resurrectionis comprobantem, nunc in discipulorum cordibus sacramentaliter praesentem, omnemque priorem instructionem confirmantem, virtutes roborantem, consolationem augentem.

II. *Discipuli.*

1. Considera Iesu sacramentalem praesentiam ilico fructum maturasse generosae actionis, propositum scil. redeundi Hierusalem, quod «surgentes eadem hora» exsecutioni mandarunt discipuli. Eius propositi motiva erant, quod prioris profectionis stultitiam necessitatemque unionis cum apostolis perspexissent; quod reliquos acceptarum gratiarum participes facere et in fide confirmare cuperent; quod nonnisi apostolis sociati sperare possent, se denuo Christi aspectu esse fruituros.

2. Considera citatum quo nunc procedunt gressum ardentiaque colloquia, dum receptas instructiones animo recolunt, et progressum receptae consolationis discutiunt (Reg. ad plen. spir. discr. 5): «Nonne cor nostrum ardens erat?» etc. Considera eorum in coenaculum ingressum, eorum fidem, alacritatem, laetitiam, comparatam apostolorum incertitudini, pusillanimitati, deiectioni. Sermonem, quem Christus habuit ad eos, referunt quam optime possunt, eos etiam quos eum audientes experti sunt sensus, argumenta quae suadebant eum, qui loqueretur, esse Christum. Quorum vis eos primum latuisset; at, quo momento viator frangebat panem, indolem viatoris universam, vultum, oculos, vulnera, internum sacramentalis praesentiae lumen,

omnia haec in unam evidentem aiebant conspirasse demonstrationem, viatorem ipsum esse Christum, Christum esse redivivum, in Christo impleri Scripturas omnes.

3. In quibus omnibus consideres Iesum per gratiam suam praesentem eadem effecisse.

De sexta apparitione.

(Io 20, 19—23.)

Primo. *Discipuli erant congregati «propter metum Iudaeorum», excepto S. Thoma.*

Secundo. *Apparuit illis Iesus, cum essent ianuae clausae, et stans in medio illorum dixit: «Pax vobis.»*

Tertio. *Dat illis Spiritum Sanctum, dicens illis: «Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.»*

Cf. Mc 16, 14; Lc 24, 36—45.

Punctum I.

Discipulorum condicio.

I. Discipulorum quam tuta fuerit condicio.

Discipuli erant *primitiae ecclesiae,* futuri ex intentione Christi regnum Israel spirituale,

civitas pacis portis inferni semper superior, arca salutis in mundi naufragio. Christus, rex Israel, arcae gubernator, e vivis fuerat sublatus perfidia Iudaeorum. Tamen dum corpus iacuerat in sepulcro et anima descenderat ad infernum, divinitas praesens apostolis permanserat, per omniscientiam cunctorum periculorum gnara, per omnipotentiam iisdem superandis par, caritate iugiter discipulorum saluti invigilans. Nunc vero redivivus Christus apostolis invisibiliter adest etiam secundum humanitatem. Unde inferas regni Israel in eo veluti interregno, arcae in ea tempestate perfectissimam *securitatem*.

II. Discipulorum metus.

Discipuli pridem Christo fidenter adhaeserant, eum Messiam praedicaverant, triumphantem in urbem induxerant; postea, praesumptione in protestationes inanes abrepti fuerant, a Christo misere defecerant. Nunc ob eum interemptum opprimuntur *tristitia*, propter ea omnia, quae fuerant Christo perferenda, propter inopinatam propriae sortis mutationem; neque solacio erant Scripturae, quippe quas non intelligebant. Opprimuntur *deiectione*, concussa spe restituendi regni Israel; neque animos erigunt mulierum de apparitionibus narrationes, quippe quae «visa sunt apud illos tamquam deliramenta». Oppri-

muntur *metu,* ut coenaculo se contineant tota die; ubi advertas illos iam unico fere Iudaeorum metu adunatos contineri, qui debuerunt fide, spe et caritate indissolubiles conglutinari

Punctum II.

Christus discipulis apparet.

I. *Ipsa apparitio*

1. praeparata fuerat apparitionibus Petro et duobus discipulis factis (Lc 24, 34), quas non uti mulierum narrationes repudiaverant apostoli.

2. Faciei lineamenta, obtutus, vulnera, vox demonstrant redivivum; splendor manifestat gloriosum exsistendi modum; portae clausae testantur omnipotentiam; «stans in medio» se proclamat inconcussum regni Israel centrum. Verba «Pax vobis» tessera sunt regis Messiae et principis pacis, ab angelis in nativitate celebrata, a Christo in supremo sermone Io 14, 27 usurpata, ergo aptissima, quae iuvent ad Christum agnoscendum. Additis verbis: «Ego sum, nolite timere», quae eadem Mt 14, 27 undis inambulans elocutus fuerat, conatur eius miraculi aliorumque miraculorum recordatione apostolorum fidem redintegrare, pronuntiat eundem se esse, seque praesente nullam iam superesse timendi rationem.

3. Quorum effectus est perturbatio et terror, apostolis reputantibus se phantasma videre, sicuti quondam in mari Mt 14, 26.

II. *Apparitionis confirmatio.*

1. Permittit gloriosas manus pedesque accurate inspici: «Videte», quo pateat personae identitas, «quia ego ipse sum». Permittit eosdem attrectari: «Palpate», ad excludendam phantasmatis superstitionem. Loquitur et manducat ea prorsus ratione, qua ante assueverat, ut morum identitate fidem generet. Intellectus tenebras dispellit, aperiens apostolis «sensum, ut intelligerent Scripturam» (Lc 24, 45). Ubi advertas obscuritatem intelligendi, quis sit Christus, non tam provenire e Scripturis ipsis, quae nequeant intelligi, quam ex hominis sensu, qui aut nolit aut non curet intelligere.

2. Quibus omnibus illud efficitur, ut fides redintegretur, apostolis rursum veluti profitentibus: «Vere filius Dei es» (Mt 14, 33). Succeditque in locum timoris, deiectionis et tristitiae gaudium: «gavisi sunt» (Io 20, 20).

Punctum III.

Potestas remittendi peccata attribuitur.

I. *Potestatis conferendae praeambula.*

1. Repetuntur verba «Pax vobis» tamquam condicio et finis omnium, quae a servatore

instituuntur. In verbis: «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos», perpende vocatorum humilitatem, vocationis sublimitatem, quae procedat a Patre, propria sit Filii, Spiritum Sanctum largiatur, mundi sanctificationem efficiat; talis vocationis perpende necessaria charismata.

2. Tribuitur Spiritus Sanctus, ille scil., qui a Patre Filioque procedit, qui Mariae obumbravit, in Christum in baptismo demissus est. Tribuitur «insufflatione», quali anima in paradiso inspirabatur corpori, quia vita est omnisque vitae supernaturalis in nobis principium. Tribuitur autem iam ad plenitudinem potestatis apostolis divinitus communicandam, eamque perennem et in alios libere transmittendam.

II. *Potestas confertur.*

1. Malorum pessimum est peccatum, cuius mala reliqua sequelae sunt tantum. Potestas remittendi peccata solius Dei propria est (Lc 5, 21), nec nisi Spiritus Sancti virtute exerceri potest. Traditur iam ea potestas amplissima, quoad omnia omnium hominum quantalibet peccata; traditur liberrime administranda; traditur tamen solis apostolis eorumque successoribus.

2. Hac potestate instructum Israel spirituale secure ab omnibus hostibus defenditur.

Portae inferi apostolorum pedibus sternuntur; vexilli Christi praecones validiores efficiuntur asseclis vexilli Luciferi. Nequit fieri, ut Christus eos, quibus potestatem remittendorum peccatorum contulerit, Iudaeorum aut inferni furori permittat.

3. Perpende *consolationem* tam facilem, tam certam in eo sacramento tibi constanter praeparatam: medelam mortis animae, lavacrum labis foedissimae, robur vitae spiritualis; consolationem item derivandam ex exercitiis cum hoc sacramento conexis: examine tam generali quam particulari, spirituali directione, poenitentia.

De septima apparitione.

(Io 20, 24—29.)

Primo. *S. Thomas* incredulus, quia *aberat ob apparitione praecedente, dicit:* «*Nisi videro . . . non credam.*»

Secundo. *Apparet illis Iesus* inde *post dies octo, cum essent ianuae clausae; et dicit S. Thomae:* «*Infer digitum tuum huc et vide . . . et noli esse incredulus, sed fidelis.*»

Tertio. *S. Thomas* credidit *dicens: «Dominus meus et Deus meus»; cui ait Christus: «Beati, qui non viderunt, et crediderunt.»*

Punctum I.

S. Thomas credere recusat.

I. *Factum proponitur.*

Eius condicio eadem fere fuerat quae reliquorum apostolorum; oppresserat eum tristitia ob ea, quae servatori fuerant perferenda, eratque deiectus animus respectu operis a Christo complendi. Non aeque atque ceteri apostoli timore Iudaeorum movebatur Thomas (cf. Io 11, 16) propter animi *audaciam.* Quae tamen ipsa causa exstitit casus magis lugendi. Ea scil. audacia et pertinacia inductus est S. Thomas primum, ut cum reliquis fidem negaret prioribus resurrectionis testibus: Magdalenae (Mc 16, 11: «non crediderunt»), reliquis mulieribus (Lc 24, 11: «et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista»), S. Petro discipulisque ex Emmaus reducibus (Mc 16, 13: «nec illis crediderunt»), ipsi beatae Virgini apparitionem sibi factam referenti. Mox denegavit fidem reliquis etiam apostolis omnibus, enarrantibus omnia resurrectionis argumenta ab ipso Christo sibi praestita. Suorum sensuum testimonio fisus

plus quam consentienti testimonio reliquorum omnium, postulavit ipse ea argumenta videre et palpare; immo ulterius postulavit argumentum, cuius petendi nullum sibi omnino ius erat, ut liceret digitum intromittere in vulnera.

II. *Factum discutitur.* Considera eius erroris

1. *originem,* scil. «quia aberat ab apparitione praecedente». Si affuisset, vidisset et tetigisset. Absens caruit hoc sensuum argumento, caruit efficaci gratia ad credendum sine illo. Perpende, quantae gratiae intra ecclesiam dentur, remissionis peccatorum etc.: ab his recedit, qui sponte ab ecclesia discedit.

2. Considera eiusdem erroris *nequitiam:* destruit Thomas fundamentum fidei, testimonii scil. auctoritatem; praesumptione actus iniquam statuit fidei praestandae condicionem.

3. Considera *sequelas:* iniuriam beatae Virgini et apostolis illatam, scandalum, proprium tandem periculum.

Punctum II.

Christus S. Thomae apparet.

I. *Apparitio dilata.*

Considera in corde Iesu Thomae amorem, longanimitatem, gratia discipulum continuo

sollicitante; simul reliquorum consolatio differtur, quo probetur eorum fides et caritas, et quia ob unius quandoque defectum plurium consolatio retardatur. In cordibus apostolorum attende affectus fiduciae et patientiae, quales reg. 7 et 8 de discr. spir. describuntur, simul maius in dies lumen et robur; in corde Thomae pertinaciam et triumphi sensum tanto magis increscentem, quo diutius exspectata a reliquis apparitio differretur, simul tamen etiam secretos remorsus ex aliorum iugiter crescente fiducia.

II. *Apparitio concessa.*

Ipse aspectus «ianuis clausis» obiectus et verba «Pax vobis» de resurrectione Thomam edocent et confusione replent. Dein alloquio ad Thomam directo manifestat Iesus animum ad ignoscendum pronum. Praestat quam ille postulare praesumpserat condicionem, gratia simul intellectum illuminans voluntatemque movens. Tandem solam vicissim fidem postulat.

Punctum III.

S. Thomas credit.

I. *S. Thomas*

gratiae impulsum secutus verbis «Dominus meus et Deus meus» agnoscit, quem cernit eundem esse atque Christum, et hunc redi-

vivum, atque ita profitetur fidem; agnoscit admissae infidelitatis gravitatem, hincque publice coram omnibus absolute retractat prius enuntiata dubia; agnoscit certitudinem obtentae veniae caritatisque Christi magnitudinem, hincque illis iisdem verbis gratitudinem exprimit et amorem.

II. *Christus*

1. suavissime reprehendit Thomam, eius agendi rationem simpliciter referens: «Quia vidisti me, Thoma, credidisti», oppositam commendans: «Beati, qui non viderunt, et crediderunt.»

2. Docet nobis non esse expetenda signa sensibilesque consolationes, sed maximam nobis consolationem in eo esse reponendam, ut *credamus ecclesiae*, eoque immo nos esse beatiores apostolis, quorum fides etiam immediato sensuum testimonio nitebatur. Etenim aeque rationabile est et aeque debitum fidere sensibus et credere testibus conspicuis numero, probitate, scientia, atque in affirmando ita constantibus, ut vitam ipsam pro assertione fundant; praesertim si eorum testimonium constanter confirmetur a Spiritu Sancto per morum sanctitatem, quam ipse inspiret, et varia mirabilia, quae ab ipso facta credibiliter referuntur; adde, ceteris paribus, fidem sensuum testimonio destitutam esse magis meritoriam.

3. Considera omnes Christi redivivi consolationes *fide* posse fieri *tuas,* tibique recipiendas esse *ab ecclesia;* unde studeas maximae cum ecclesia conformitati in doctrina, maximae subiectioni in agendis, fideli receptioni sacramentorum eius.

Cf. Regulas ad sentiendum cum ecclesia.

De octava apparitione.

(Io 21, 1—14.)

Primo. *Iesus apparet septem ex suis discipulis piscantibus, qui tota nocte nihil prendiderant; et iacientes rete* ad eius mandatum «*non valebant illud trahere prae multitudine piscium*».

Secundo. Per hoc miraculum S. Ioannes illum cognovit *et dixit S. Petro:* «*Dominus est*», *qui proiecit se in mare* et venit ad Christum.

Tertio. *Dedit illis ad comedendum* partem piscis assi et favum mellis, et commendavit oves suas S. Petro, examinato primum tribus vicibus de caritate, *et dicit illi:* «*Pasce oves meas*».

Ad «favum mellis», qui ex Lc 24, 42 videtur huc irrepsisse, cf. p. 59 et notam 8 R. P. Roothaan.

Punctum I.

Christus apparet.

I. Discipuli

1. *piscantur.* Mare mundus, litus vita futura, pisces animae. Quibus piscibus omnino necessarium est ingredi rete fidei et oboedientiae atque ita trahi in ripam. Ad quod sublime piscationis genus Deus vocavit apostolos, iique severe obligantur, ut ei operi sedulo incumbant. Cuius primae partes assignatae sunt Petro: praeit ipse, sequuntur reliqui.

2. *Nihil prendunt.* Retinentur in aquis pisces fraudibus daemonis, innata corruptione naturae, impotentia naturali cuiusquam operis salutaris. Capi nequeunt nisi adiuvante gratia Christi: «Sine me nihil potestis facere» (Io 15, 5). Porro Deo disponente apostolorum vita abundat labore, qui saepe caret effectu, sive ob quorundam peccata, sive quo discant apostoli nihil se posse efficere ex se. Ne Petrus quidem naturalibus relictus viribus perficere quicquam valet.

II. Iesus

1 *adstat* praesentia, sapientia, benignitate, potentia; adstat non agnitus in litore,

cuius vox et virtus tamen ad apostolos et pisces pertingunt;

2. *mandat* et mandans promittit auxilium; per superiores ecclesiae ipse nos dirigit nostrisque laboribus largitur efficaciam.

Punctum II.

Christus agnoscitur.

I. *S. Ioannes*

1. «per hoc miraculum illum cognovit»: ex miraculo intellexit omnipotentiam; ex perspecta affinitate cum priori miraculo piscationis miraculosae (Lc 5, 1—11), utriusque miraculi eundem esse auctorem coniecit; recordatus eorum quae tum dicta fuerant verborum: «Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens», vividius prae animo habuit acceptae apostolicae vocationis recordationem; hinc, intentius prospiciens in virum in litore stantem, visus sibi est discernere Domini staturam et speciem.

2. Ut vero hisce indiciis Dominum agnosceret, *caritas* effecit; amabat Christum, cupiebat invenire Christum, inerat cordi pius credulitatis affectus. Qui affectus ipse donum erat Christi, auctoris omnis motus salutaris, scintilla de igne cordis eius, unde omnis vita ecclesiae procedit.

3. Considera hos omnes sensus fidei, laetitiae, fiduciae, caritatis illis vocibus exprimi: «Dominus est».

II. *S. Petrus*

1. e lapsu et e prioribus apparitionibus vehementi exarserat Christi amore; nihil iam sibi quaerens, cupit esse cum Christo; labore non deterretur, quominus veniat ad Christum. Christum plus amat quam navim, rete, ceteros etiam apostolos; quare, his post se relictis, se proicit in mare. Christum, in eo saltem eventu, plus amat quam ceteri omnes apostoli et ipse S. Ioannes: quare tardiorem reputans onustae navis progressum in mare se proicit.

2. Considera, quomodo augeatur continuo amor, quo magis Petrus Christo propinquet, donec tandem amore aestuans ad Christi pedes procidat. Exquire ex te ipso, quo tandem loco ipse extremis exercitiis inveniaris: clarene tandem perspexisti, in quibusnam Christus sit requirendus? esne tu ex numero eorum, qui lente Christo approximant, an cum Petro missis moris omnibus ad illum properas?

Punctum III.

Christus S. Petro primatum confert.

I. *Refectio praebetur.*

1. Refectio in litore habita imago est coenae agni aeternae, remunerationis futurae

omnium apostolicorum laborum post huius vitae adversitates. — Refectio eadem imago est intimae Christum inter eiusque apostolos et ecclesiae membra unionis, ex *caritate* profectae, cibi convivali communione expressae. — Est ea etiam imago consolationum. Et Christus quidem semper te reficit: pane quotidiano gratiae suae, pane tribulationis; at temporibus sibi placitis pascit te cibo consolationis solido ac suavi: piscis Christus est, piscis assatus passionem significat.

2. Labora in terris, ut caelesti convivio aliquando accumbas. — Auge caritatem, eucharistica imprimis cum Christo communione. — Antequam ad convivium consolationis accedas, certus esto «Dominum esse» eum, qui ad illud te vocat, ne Luciferi aliqua fraude decipiaris. Certus eris, si cum Petro accedas, si oboedientia regaris.

II. *Caritas inculcatur.*

1. Quaestio: «Diligis me?» a Christi in homines caritate processit; solus ille enim, qui ipse amat, eiusmodi verbis alterum appellare consuevit; unde ipsa quaestio S. Petrum et nos quoque certissimos reddit Christi in nos dilectionis; insuper *primatus demonstratur eiusdem dilectionis esse institutio.*

2. Quaestio supponit debere primatem ecclesiae, sicut palmitem viti, Christo cari-

tate copulari; atque merito exspectari, ut primatis in Christum caritas et genuina sit et aliorum caritatem excellat; hinc ter repetita quaestio, et vox addita «plus his».

3. Primas gregem pascat oportet ex caritate Christi et in spiritu caritatis; grex primati adhaereat oportet ex ea caritate, qua Christum ipsum sequitur.

4. *Caritas constituitur lex fundamentalis ecclesiae.*

5. Eadem tamen interrogatio Petrum in humilitate confirmat, quae fundamentum est, uti totius salutis, ita etiam omnis pastoralis sollicitudinis. Trina interrogatio trinam negationem in memoriam revocat, verba «plus his» priores praesumptuosas sui cum ceteris comparationes. Quod si vero Petrum in primatu humilem esse oporteat, quanto magis reliquos, qui illi subsunt?

III. *Oves committuntur.*

1. Petro traditur potestas Christi fideles omnes et in omnibus regendi; fidelibus imponitur obligatio Petro in omnibus obsequendi. Quo simul promittitur Petro virtus, qua illud efficaciter praestet, oves a lupo defendat, portas inferni prosternat. — Tamen oves Petro traditae remanent Christi («meas»), Christi spiritu pascendae, cui Petrus aliquando rationem administrati officii reddi-

turus est. — Petrus pascet doctrina, praeceptis, sacramentis. Per Petrum pascet Christus, infallibilitatem tribuens in doctrina, sanctitatem in praeceptis, gratiam in sacramentis. Unde sub Petro eadem laetitia, fiducia, securitate oves procedant aequum est, ac si a solo Christo immediate pascerentur.

2. *Omnis verae consolationis, quam Christus sua nobis resurrectione comparavit, participes efficimur intra ecclesiam, mediante Petro.* Hinc iam solide stabilitum cernitur regnum Israel.

IV. *Crux praemonstratur.*

Petrus primatum exercebit addita *cruce.* — Ergo etiam gregi incedendum erit via crucis, nam grex non est super pastorem. — Omnis verae consolationis participes efficimur intra ecclesiam mediante Petro, *via crucis.* — Crux est charisma, cuius sibi Christus largitionem reservavit, secluso S. Petro. Est intimior ad Iesum conformatio, propior sequela.

De nona apparitione.

(Mt 28, 16—20.)

Primo. *Discipuli* ex mandato Domini *eunt ad montem* Tabor.

Secundo. *Christus illis apparet et dicit:* «*Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.*»

Tertio. Misit eos per totum mundum ad praedicandum *dicens:* «*Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*»

Pro «ex mandato Domini» Mt: «ubi constituerat illis Iesus».

Punctum I.

Iter ad Tabor.

I. «Discipuli eunt»,

non iam sicut in *horto,* ubi erant quasi oves sine pastore: invenerunt quippe divinum suum pastorem, et habent eius visibilem vicarium. Petrus praeit tamquam praesul agnitus ab omnibus, quem omnes libentes sequuntur, etiam Iacobus et Ioannes, omissa contentione, quis eorum esset maior. — Non eunt, sicut ierant duo discipuli pergentes in *Emmaus,* deficientes in fide et spe: firmiter

tenent Iesum esse filium Dei, in ipso esse plenitudinem vitae, regnum Israel in ecclesia consistere.

II. «Ex mandato Domini».

Fruituri iam erant ea apparitione, quae statim post resurrectionem (Mt 28, 10. Mc 16, 7) promissa fuerat, cuius promissionis veritas sequentibus omnibus apparitionibus comprobata fuerat; in illis absque dubio eadem promissio ab ipso Domino fuerat iterata. — Cum tantas gratias accepissent in praeviis apparitionibus, quae huic quasi viam straverant, maiores etiam ab hac derivandas exspectabant; quare summa incedebant laetitia et spe.

III. «Ad montem Tabor».

SS. Petrus, Ioannes et Iacobus, memores verborum Christi Mt 17, 9: «Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat», post resurrectionem et in hoc maxime itinere reliquis transfigurationem in monte Tabor factam enarrant; omnesque mysterii sensum agnoscunt, ut Iesus sit filius Dei («Hic est filius meus dilectus»), sit Messias, finis legis et prophetiae (Moyses et Elias), ut crux sit ad salutem necessaria («dicebant excessum eius»). — Ad eundem iam proficiscuntur montem exspectantes uni-

versalius et plenius ibidem manifestatum iri Christi divinitatem et auctoritatem; gnari tamen hac etiam vice sensibilem consolationem fore transitoriam, tabernacula in monte non fore concedenda, sed gloriam Christi mox nube obtegendam (Lc 9, 34). — Experientia didicerunt necessitatem, quae intercedit inter transfigurationem et orationem, vigilant et orant.

Punctum II.

Christi suprema potestas.

I. *Christi persona.*

Considera apparentis auctoritatem regiam, nunc insigni crucis triumpho confirmatam; maiestatem et gloriam, qualis decet filium Dei; amabilitatem, qua amicissime miscetur discipulis tamquam «fratribus» (Io 20, 17), cum illis colloquitur, attrectari se patitur.

II. *Christi potestas.*

1. Considera eam potestatem datam esse a Patre omnem potestatem habente; datam esse filio unigenito, dilecto, ergo liberalem, irrevocabilem; datam esse ad finem gloriae Deo et pacis seu salutis hominibus praestandae; datam esse amplissimam, omnem ambitum et durationem mundi complectentem. Cui subest caelum ipsum reserandum vel clauden-

dum, omnes gratiae desursum descendentes et sursum corda trahentes, omnes angeli, omnis natura terrestris, omnes homines, immo ipsi daemones, quatenus in terris hominibus insidiantur.

2. Considera, quam pauci tum, praeter angelos et sanctos e limbo liberatos, ei de facto potestati subfuerint, reliquis in captivitate Luciferi detentis. Intuitu quasi ex culmine montis Tabor complectere omnia mundi regna et omnem eorum pompam, tenebris obvoluta ignorantiae, morte oppressa peccati.

3. Adverte, quo spiritu vere regio Christus omnium salutem desideret salutisque media iam disponat; contuere gratias omnes eius sanguine acquisitas atque in eius veluti manibus collectas, mox apostolis committendas atque per eos in omne hominum genus distribuendas.

Punctum III.

Apostolorum missio.

I. *Eant.*

1. Adverte, quomodo Christus uti decreverit apostolis sociis salutis efficiendae, eos ad id selegerit, vocaverit, instruxerit. Perpende vocem «ergo» procedentem e Ss. Corde tamquam consequentiam eius simul amoris et potestatis. Considera, quanta sit eius vocis auctoritas ad compellendos apostolos, «ut

utantur bene suis talentis»; quantum apostolos honoret assumptos in societatem operis Christi; quantas adiunctas habeat gratias.

2. Considera apostolos mitti ad «omnes gentes» et «usque ad consummationem saeculi», i. e. missione latissima tam quoad locum quam quoad personas et tempus.

II. *Doceant.*

Doctrina «adiuvent» intellectum, ut intellectus ignorantia sublata lumine fidei moveatur voluntas «servare omnia», quaecumque mandavit Christus; illa scil. doctrina, quae divina est origine, dogmatibus, additamque habet ad credendum gratiam. — Docentibus autem aderit Christus: «Et ecce ego vobiscum sum», largiens infallibilitatem.

III. *Baptizent,*

i. e. abluant peccata, largiantur gratiam, vitam, pacem. At baptismus simul est renuntiatio diabolo facta eiusque operibus et pompis: hinc baptismo conscribant apostoli fideles sub vexillum Christi, pugnaturos contra Luciferum; baptismo profiteantur ipsi fideles paupertatem saltem spiritualem et humilitatem Christi, et quidem illam profiteantur «in nomine» trium divinarum personarum, quae eum sanxerunt Christi sociorum vestitum militarem.

De ascensione Christi Domini nostri.

(Act 1, 1—12.)

Primo. *Postquam per spatium quadraginta dierum apparuisset apostolis, praebens multa argumenta et signa et loquens de regno Dei, mandavit illis, ut in Hierusalem promissum Spiritum Sanctum exspectarent.*

Secundo. *Eduxit illos ad montem Oliveti et in praesentia eorum elevatus est, et nubes sustulit eum ab oculis eorum.*

Tertio. *Aspicientibus illis in caelum, dicunt illis angeli: «Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.»*

«Signa» habet Io 20, 30; «eduxit illos» Lc 24, 50.

Punctum I.

Christi suprema monita.

I. *Christus cum apostolis conversatur.*

1. «Apparuit» illis suo illos aspectu recreans; «praebens multa argumenta», per-

mittens vulnera attrectari, convescens, explicans Scripturas, — «et signa», intrans scil. portis clausis, largiens capturam piscium miraculosam et alia, «quae non sunt scripta» (Io 20, 30). Quibus omnibus «praebuit se ipsum *vivum*» (Act 1, 3), i. e. resurrectionis veritatem firmius usque stabilivit, ea veritate evidentius demonstravit se esse *filium Dei* omnisque vitae fontem (Io 20, 30 sq), atque ita tandem discipulos solida et indeficienti replevit *consolatione*.

2. Praeterea erat «loquens de regno Dei». Omnem resurrectione procuratam consolationem in *ecclesia* recondidit, cui doctrinam et sacramenta commisit, cuius universam institutionem apostolis illis quadraginta diebus amantissime et patientissime explicavit. Simul necessariam conexionem inter vitam in hoc Dei regno, ecclesia, degendam et inter *crucem* inculcavit (Lc 24, 26).

II. *Spiritus Sanctus apostolis exspectandus.*

Ecclesia fundata absolvenda erat per Sanctum Spiritum, *paracletum*, i. e. consolatorem, eo quod sit «spiritus veritatis» (Io 14, 17) et «virtus ex alto» (Lc 24, 49). Ille desertum terrae mutaturus erat in paradisum, renovata facie terrae, corpora hominum consecraturus erat in templa, regnum Christi completurus

in cordibus. Quem mittendum rursus Christus promittit, docet exspectandum humili Hierosolymis secessu et assidua oratione. — Recole Christi toto exercitiorum secessu tecum amantissimam conversationem, qua se tibi magis in dies cognoscendum et amandum praebuit, qua tuum tibi in ecclesia sua statum et vocationem manifestavit. Adverte tibi quoque esse in recollectione et oratione perseverandum, ut eius vocationis plenissimum effectum nanciscaris.

Punctum II.

Christi ascensio.

I. *Iter in montem.*

Vix septem intercesserant hebdomadae ab altero illo in montem Oliveti itinere, et quam mutata omnia! *Personae:* Christus gloriosus, gloriosa gerens vulnera; Maria et discipuli gaudium vultibus exprimentes. *Sensus:* Christus tunc de relinquendis apostolis dolens, nunc iturus ad Patrem neque illos relicturus orphanos, tunc horrore passionis percitus, nunc impassibilis atque de passionis fructu laetabundus, tunc de apostolis sollicitus, nunc iamiam missurus Sanctum Spiritum; Maria et discipuli repleti fide et caritate. — Cum illis personis iter perage ab urbe per vallem Cedron, prope hortum,

ubi singuli gressus priores angores in mentem revocant et ex eorum memoria suavissimam generant consolationem; Hierusalem civitas devota, sed typus Hierusalem spiritualis.

II. *Adventus in monte.*

Christum attende unico obtutu contemplantem universum *mundi desertum* tenebris obvolutum (cf. de incarn.), regnum Luciferi cum omni sua pompa (cf. de tentat.) a fundamentis iamiam concussum, devicta in persona Christi morte, quae est stipendium peccati (Rom 6, 23); et audientem verba Patris (Ps 2, 8): «Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam», verba perquam diversa a tentatoris verbis universum mundum promittentis. — Attende contemplantem apostolos, *semen ecclesiae,* renovaturos terram et in paradisum mutaturos virtute Sancti Spiritus; atque ita cernentem impletum «omne verbum, quod procedit de ore Dei» (Mt 4, 4). — Attende suspicientem *sursum,* quo ad coronam vocat Ss. Trinitas: Ascende sursum! dum tentator ut se deorsum mitteret suggesserat.

III. *Ascensio de monte.*

1. Considera Ss. Cor exsultans triumpho, gaudio, benevolentia; angelorum circumfusos choros ad ministerium, uti Mt 4, 11, paratos; sanctos Veteris Testamenti invisibiliter assistentes. Iesus extensis manibus ecclesiae

recens natae benedicit, quae benedictio non est solum boni apprecatio, sed omnium bonorum collatorum et promissorum confirmatio. Ascendit Iesus propria virtute, eius benedictio ampliores et ampliores veluti orbes complectitur; angeli, quibus Pater de eo (Mt 4, 6) mandaverat, eum comitantur; sancti ei ut filio David et Dei hosanna adiubilant. Considera in Ss. Corde affectus humilitatis glorificatae: Magnificat.

2. Aspice Iesum, angelis et sanctis stipatum, ingredientem caelestem Hierusalem, templum Ss. Trinitatis, et in throno ad dexteram Patris considentem, cunctis acclamantibus «Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem» (Apc 5, 12). Confer gloriam, suavitatem, aeternitatem eius triumphi cum crucis ignominia, agonia, brevi duratione.

3. Considera *nubem* hunc gloriae aspectum intercipientem. Separamur a gloria nube hebetudinis naturalis, qua gloriam intueri haud valemus; nube tamen simul specierum sacramentalium servatori propinquamus. Nube tantum ab ipso separamur aliquando dissipanda, nube minime impervia lumini eius omniscientiae, calori eius caritatis, vigori eius omnipotentiae.

Punctum III.

Angelorum monitio.

I. *Suspiciunt discipuli.*

Discipulorum aspectus in caelum fixi perseverant, ubi fides quaerit patriam, spes praemium, caritas dilectum. Col 3, 1 sq: «Quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt, sapite, non quae super terram.»

II. *Monentur.*

1. Non sufficit aspicere in caelum, non sufficit elegisse statum, exercitia non sunt sibi ipsis finis. Debemus laborare cum Christo; v. g. si nos ad vitam apostolicam vocatos sentiamus, debemus ire, docere, baptizare. Debemus laborare «agendo contra propriam sensualitatem» etc. Debemus indui eadem veste ac insignibus atque Christus.

2. Iesus iterum veniet nostrum laborem iudicaturus, remuneraturus. Veniet aeternum videndus nosque transformabit in similitudinem gloriae suae. Tantum eius aspectu fruemur, quantum cum ipso laboraverimus.

Contemplatio ad obtinendum amorem.

Contemplatio haec a quarta hebdomada eximitur, uti fundamentum a prima, regnum Christi a secunda; non tamen ideo a reliquis exercitiis quasi fortuita appendix secernenda est.

Iam ut huius contemplationis necessarium cum reliquis exercitiis nexum perspiciamus, ad fructum ex illis hucusque perceptum reflectamus animum oportet. Igitur in fundamento motivis obligationis, honestatis et etiam utilitatis, quae in salute animae consistit, ad praestandum Deo servitium adigebamur. Meditatio de peccatis propriis omnino manuducit hominem ad contritionem *amore benevolentiae* perfectam: opponit siquidem peccatoris imperfectioni infinitam Dei perfectionem. Regni vero Christi meditatio, quae trium sequentium hebdomadarum mentem compendio exhibet, novum post fundamentum suggerebat motivum *amoris Christi,* quod in omnibus inde tertiis praeludiis tamquam sequelae Christi, i. e. servitii Dei, motivum constanter efflagitabatur. Licet vero in vitae Christi contemplatione amor sit motivum omnino praecipuum, nequaquam est unicum; insignem retinet locum motivum *utilitatis propriae* inde

a fundamento transumptum. Allicit Christus rex propósito paupertatis et humiliationum praemio; praeter gloriam Deo, nobis pacem angeli praesagiunt in nativitate; in Christo nobis exhibetur plenitudo vitae verae obtinendae; integra tandem quarta hebdomada praemium nobis promissum celebrat.

Habetur igitur in exercitiis, quae explicabamus antehac, etiam amor. Contemplatio nostra non est de *re plane nova,* cuius nihil antea habuerit is, qui meditatur. Non agitur de amore benevolentiae obtinendo aliquomodo tantum, sed obtinendo tamquam totius vitae spiritualis habituali motivo.

Quid vero nomine *amoris* venit? Excludit sanctus Pater primum eum fucatum amorem, qui est neque in affectu neque in effectu, sed in solis labiis. Excludit etiam eum amorem, qui est in affectu, sed non est in effectu: «amor», inquit, «est in communicatione»; ubi igitur nulla communicatio, ibi nullus amor. Affectum et effectum exprimit secundum praeambulum: «in omnibus amare et servire divinae suae maiestati».

Quaeritur *amor benevolentiae* seu caritas. E punctis patet, quaeri potissimum *amorem Dei spectati in se,* quem excitabat extrema meditatio de peccatis propriis, prae *amore Dei incarnati,* quem inculcabat tota vita Christi.

Verum praeter eum amorem benevolentiae, qui omnium christianorum communis est, quique fundatur cognitione Dei per species a rebus sensibilibus abstractas, est alius *amor contemplativorum ecstaticus,* non habens in ea cognitione radices, quo anima a sensibilibus plane abstracta fruitur Deo. Quo charismate fruitus est ipse etiam S. Ignatius: plures illud tum votis appetebant; brevi post S. Ignatium pulcherrimos flores vitae contemplativae protulit Hispania: S. Theresiam a Iesu et S. Ioannem a Cruce. Putasne hoc tam sublime amoris genus S. Ignatium a significatione vocum «ad obtinendum amorem» exclusisse?

Contemplatio non est *de amore,* sed *ad obtinendum amorem;* quae est alia plane res. Sanctus Pater proponit *medium* aliquod ad obtinendum amorem.

Datur triplex via obtinendi amoris.

Prima via constat *augenda cognitione Dei spectati in se,* scil. amor praesupponit cognitionem aliquam: ignoti nulla cupido. Quorum tamen est neque necessaria neque aequalis proportio: potest theologus habere excellentem cognitionem Dei, caritatem longe minorem vel etiam nullam; potest homo ineruditus habere caritatem magnam. Profundior etiam illa cognitio Dei spectati in se, cum perquam speculativa sit, plurium

mentibus non est satis commoda. Quare non hac via incedit sanctus Pater, nihil in punctis reperies, quod divinae naturae excellentiam explicet, nihil de aseitate, infinitudine etc.

Altera via obtinendi amoris est, ut *alia virtus amorem imperet.* Virtus, quam homines omnes etiam ineruditi facile exercent, est *gratitudo,* virtus iustitiae anexa. Habet etiam gratitudo specialem cum amore affinitatem. Gratitudo excitatur dono accepto, tendit in donum retribuendum. Retribuit e motivo iustitiae seu aequitatis, dum Deus tribuebat donum e motivo amoris. Non nudum donum tribuebat Deus, sed cum amore donum: ipsa gratitudo auctor est, ut ei retribuatur non nudum servitium, sed servitium cum amore. Gratitudo e nativa sua indole prompta est ad imperandum amorem.

Hac via S. Ignatius incedit: «petere cognitionem internam tot ac tantorum bonorum acceptorum, ut ego integre (haec) recognoscens (vel integro grati animi sensu) possim in omnibus amare et servire divinae suae maiestati». Donorum acceptorum vicem reddere «multa cum ratione et iustitia» gratitudinis est.

Tertia via, eaque potissima atque certissima, obtinendi amoris, est *impetrare ut Deus illum*

det. Est enim purissimus ille amor magis etiam quam reliqua donum Dei. Hac etiam via incedit S. Ignatius: cf. extremo primo puncto: «Da mihi amorem tuum et gratiam.»

Igitur medium obtinendi amoris, quod S. Ignatius proponit, hoc est: Vis ad excellentem Dei amorem pertingere? Multus esto in agendis Deo gratiis pro beneficiis acceptis: hinc eo devenies, ut ex animo grato Deo rependas non solum dona pro donis, sed etiam amorem pro amore; simul instanter ora, ut tibi Deus donum amoris liberaliter largiatur.

Consilium hoc practicum, prudens index est summae reverentiae, qua sanctus Pater excellentem illum amorem habebat. Vult, ut homo a parte sua laboret, e gratitudine primum Deo «serviat in omnibus»: haec via expers illusionum atque affectuum effectibus carentium. Simul vult meminisse hominem, se donum tam excellens viribus suis assequi non posse, sed constanter orandum Deum, ut sibi illud donum largiatur: id agens vacabit superbia. Non tradit S. Ignatius methodum huius amoris exercendi, non illum punctis quibusdam explicat: primarius eius amoris magister Deus, doceat sponsus sponsam amare. Velut e monte quodam Nebo S. Ignatius

terram illam sanctam demonstrat, viam ostendit. Docet pulsare, non aperit ianuam ipse.

Sunt ergo contemplationis materia *dona Dei,* in quibus contemplandum venit, dona quae sint et qua caritate a Deo dentur: est enim caritas haec donorum unum et maximum. Donorum porro divinorum consideratio in quattuor distribuitur puncta, non ut ipsa dona in quattuor distinctas secernantur classes, sed ut in universis illis simul sumptis distinguantur quattuor gradus divini in nos amoris: ut scil. Deus tot illa tantaque nobis dona det, ut praesens det, ut operose det, ut det tamquam totidem imitationes et communicationes suae propriae bonitatis. Qui quattuor divini in nos amoris gradus, vi principii a sancto Patre considerationi praefixi, ad totidem gradus divini servitii nos provocant, ut scil. omnibus nostris bonis et potentiis Deo serviamus, ut praesentes semper, i. e. eius praesentiae memores, ei serviamus, ut operose illi serviamus, ut in reliquis rebus ipsum solum agnoscamus, quaeramus et amemus.

At, inquies, posteriores hos tres *nostri* in Deum amoris gradus sanctus Pater in textu vix indicat. Ubi enim in fine primi puncti suggessit, ut Deo omnibus nostris bonis et potentiis serviremus, pro sequentibus punctis

monet nos reflectere ad nos ipsos «eo modo, quo dictum est in primo puncto, vel alio, quem sensero meliorem». Respondeas primo reapse posse exercitium ita institui, ut perpendens exercitans tot sibi a Deo dari dona, et a Deo quidem praesente et operante et in suis se donis communicante, iterum iterumque illi uni affectui insistat, velle se in posterum omnibus suis bonis et viribus Deo servire; licet vel in eo affectu fovendo vix poterit non in illud prorumpere propositum, velle se Deo etiam iisdem modis iisdemque specifice gradibus servire, quibus Deum sibi bene facientem contemplatur. — Respondeas porro illis verbis «vel alio, quem sensero meliorem», diserte sanctum Patrem indicare, dari reapse meliorem aliquem atque posterioribus punctis magis convenientem modum ad se ipsum reflectendi, eum vero expressum non esse, fortasse quod in hac contemplatione magis quam secus observari oportuerit, quod dicebatur annot. 2, maiorem gustum spiritualem derivari ex iis, quae exercitans sponte invenerit. Quinam sit ille modus magis conveniens, ex iis quae antea dicebamus perspicitur. Fructus contemplationis proximus sed non praecipuus est, inducere ad liberalem oblationem «Sume et suscipe». Fructus praecipuus sed remotus est, traducere ad perfectum amorem. Qui fructus afflante Dei

gratia haberi potest in quolibet puncto; ubi offertur, ei uni est insistendum. Igitur in puncto primo sanctus Pater uni insistit fructui proximo; in punctis posterioribus fructum praecipuum illis verbis indicat saltem, monet meditanti esse pulsandum.

Primi puncti partes aliquae non obscure in textu discernuntur: «adducere in memoriam . . . ponderare . . . reflectere in me ipsum». Ubi cf. meditationem de triplici peccato: «trahere in memoriam . . . discurrere per intellectum . . . movere affectus per voluntatem». Eiusdem ordinis vestigia etiam in tribus reliquis punctis observabis, ubi primum iuberis «attendere, considerare, speculari», sane per memoriam, dum intellectus et voluntatis actus compendio resumuntur formula «reflectere ad me ipsum». Utiliter igitur hoc exercitium dispones ad instar punctorum de triplici peccato, ut sit quaedam «meditatio per tres potentias», qualem ibidem describebamus. — Cum verbis primi puncti «multo cum affectu» confer verba quinti puncti de peccatis propriis «cum ingenti affectu», et ultimi de regno Christi puncti «qui magis affici volent». Ab eodem contemplatio de amore Dei vehementi orditur affectu, qui illorum duorum exercitiorum proprius est, quorum illud a peccato animum avellit, hoc Christo individue coniungit.

Punctum I.

Dei in nos collata beneficia.

I. *Factum perpenditur.*

1. Beneficia creationis.

In principio creavit Deus caelum et terram iisque eas indidit leges, quibus usque gubernantur; divisit tenebras et lucem, terras et aquas, ut mihi quoque aliquando terra domus esset; creavit plantas, quibus vescerer et vestirer, animalia, quibus ad cibum, laborem et delectationem uterer, tandem hominem et me, omnium inferiorum ordinum in se resumentem perfectionem.

2. Beneficia redemptionis.

Gratiam in protoparente amissam non solum mihi restituit, sed insuper in salvatore crucifixo dedit mihi perennem omnium gratiarum fontem, scaturientem in paradiso ecclesiae, ubi fluenta sacramentorum, ubi arbor vitae Ss. Eucharistiae, ubi cognitio Dei, ubi omnia charismata Spiritus Sancti.

3. Beneficia particularia.

In illo me paradiso posuit, puta brevi post quam natus sum, omniumque thesaurorum participem fecit; assignavit statum vitae, in quo ipsi servirem et placerem; dedit gratiam sacra peragendi exercitia etc.

II. *Factum discutitur.* Considera eorum beneficiorum

1. numerum et varietatem:

Sunt ea dona naturalia et supernaturalia omnis generis, ipsa dona increata Filius et Sanctus Spiritus; sunt ea decreta ab aeternitate, praeparata ab initio mundi, praestita per totam vitam, continuanda tota aeternitate; sunt ea partim Deo contingentia, partim ipsi essentialiter propria; sunt ea collata immerito, ingrato, grato. — Recogitabo haec «ponderando multo cum affectu, quantum fecerit Deus Dominus noster pro me, et quantum mihi dederit ex iis, quae habet». Considerabo eorundem beneficiorum

2. terminum:

«quantum ipse Dominus desideret dare se ipsum mihi, in quantum potest, iuxta divinam suam ordinationem». Vult Deus tandem in caelo se ipsum mihi dare totum; unde omnia illa praesentis vitae dona sunt totidem pignora eius in me amoris, totidem sponsores, qui animam meam illi aeternum despondeant, totidem munera aeternam praesignantia unionem.

III. *Factum applicatur.*

1. Debeo dare aliquid

«*multa cum ratione*»: aequum est, ut aliquid doni rependam, cum Deus mihi tot bona

largiatur et largiturus sit, cum tam humaniter largiatur maximus ipse minimo mihi, cum tanta caritate largiatur;

«*multa cum iustitia*»: iustum quippe est, ut aliquid doni rependam, cum Deus non ad arbitrarium usum mihi sua dona dederit, sed quibus uterer ad eius servitium et gloriam; idque fecerit necessitate naturae, cuius summa et intrinseca excellentia in hoc Dei servitio consistit, conferens ei regnum super totum hunc mundum visibilem, sacerdotium in templo naturae materialis, eius efficiens beatitudinem in hoc saeculo et in futuro.

2. Debeo dare omnia.

«*Omnia mea*», «quidquid habeo et possideo» rerum adventiciarum;

«*me ipsum cum illis*». Offerre omnia mea non sufficit, quia Deus non sua tantum dedit mihi, verum se ipsum. Dedit Verbum, increatam suam intellectionem: dabo «meam memoriam, meum intellectum». Dedit Sanctum Spiritum, increatam suam volitionem: dabo «omnem meam voluntatem». Dabit se totum in caelis: dabo me totum, cor meum exhibens paradisum, in quo sibi Deus complaceat.

3. Ad quid dabo?

«*Dispone de illis pro omni voluntate tua.*» Revoca, limita, auge dona tua pro bene-

placito tuo; utar illis unice pro tua voluntate, ad quod utique amor tuus et gratia mihi sunt necessaria.

4. An haec agens satis egi pro Deo?

Non, quia plus his dedit mihi Deus. Dedit omnia e motivo *amoris*. Dona creata omnia sunt eius amoris argumenta; in corde Filii ardet amor Dei; Sanctus Spiritus est ipse amor increatus. Non ago «multa cum ratione et iustitia», si non retribuo Deo amorem pro amore. Verum amor hic est donum Dei excellentissimum, dandum ab ipso. Quare petam ab ipso: «Da mihi tuum amorem», et ut hoc dono digne et perseveranter utar, petam: «Da mihi gratiam», aliud vero praeter eam non petam, quia obtento dono amoris et gratia illo bene utendi nihil est quod ultra quaeram, omnia redeunt ad hoc unum et in hoc uno continentur, ut amem, ut nihil agam quam amare (affectu et effectu), hoc unum «sufficit».

Punctum II.

Deus beneficia praesens confert.

I. *Factum perpenditur* Mente conversa ad primum praeludium, in quo Deum coram aspicio, dicam ad me ipsum: «quamvis non longe sit ab unoquoque

nostrum» (Act 17, 27), et excitabo affectum gaudii propterea, quod Deus mihi tam prope adsit.

1. Non prope tantum adest, non coram solum vel a latere adstat, sed in me praesens adest et in omnibus rebus: «In ipso enim vivimus et movemur et sumus» (ib. v. 28); unde gaudendum mihi de tam intima praesentia.

2. In omnibus adest tamquam causa prima essendi «portansque omnia verbo virtutis suae» (Hebr 1, 3). Idem voluntatis divinae actus, qui primum res creavit, praesens perdurat eas cum omnibus suis proprietatibus et viribus conservans; vox, qua creabantur, veluti praesens adhuc personat.

3. Speciali ratione apud nos praesens factus est incarnatione atque mediante hac Sancti Spiritus inhabitatione; quae duplex praesentia infinitis ferme locis perdurat perseverantia verbi filii Dei in suis legatis dicentibus: «Hoc est corpus meum», «Accipite Spiritum Sanctum», «Ego te absolvo» etc.

4. Deus per gratiam praesens est in anima mea, quae fit eius *domus,* ubi requiescat, quam exornet; eius *templum,* in quo adorationem et sacrificium exspectet; eius *cubiculum sponsale,* ubi eius sponsa anima integro amore ei coniungatur.

II. *Factum discutitur.*

1. Considera Deum tibi praesentem esse interius et exterius, semper et ubique; praesentem esse, quibusvis modis praesens esse queat, divina omnipraesentia, unione hypostatica, salvifica inhabitatione.

2. Cum creaturae sint manifestatio praesentiae eius, tanto magis se praesentem manifestat, quo altioris ordinis sunt singulae creaturae: «in elementis dans esse, in plantis dans vegetare, in animalibus dans sentire, in hominibus dans intelligere; et ita in me habitat dans mihi esse, vivere, sentire et faciens me intelligere». In incarnatione se praesentem exhibet sub specie humana propria, in Eucharistia sub specie aliena, in inhabitatione Spiritus Sancti solo testimonio fidei. Per naturam se praesentem exhibet in me tamquam in imagine, per gratiam tamquam in templo.

3. Quis huius tam variae, tam admirandae praesentiae futurus *terminus?* Cupit Deus magis magisque fieri praesens intellectui meo per agnitionem, voluntati per amorem, ut tandem in caelo intime et inseparabiliter praesens sit ipse mihi et ego illi.

III. *Factum applicatur.* Aequum sane et iustum est,

1. ut semper et ubique praesentiae Dei sim memor, quia digna est, quae advertatur, eius praesentia; quia propter me praesens est; quia mei ipse constanter memor est;

2. ut semper et ubique Dei praesentiam agnoscam opere et omissione, ea agens, quae praesenti placent, iis abstinens, quae praesenti displicent;

3. ut a cognitione creaturarum studeam transire ad cognitionem et laudem praesentis Dei, ut omnem meum amorem a creaturis in praesentem transferam Deum (cf. Reg. Summ. 17);

4. ut Dei praesentiam in aliis agnoscam.

Punctum III.

Deus beneficia operose confert.

I. *Factum perpenditur.* Mente conversa ad primum praeludium, in quo angelos et sanctos conspicio interpellantes pro me, advertam, quomodo illi aliquid agant pro me apud Deum, et ut ipse aliquid pro me agat efficiant.

1. Deus non solum in omnibus operatur, mihi serviens et benefaciens; cooperatur etiam mecum in omni opere meo.

2. Deus operabatur pro me inde a mundi initio, creans caelum et terram, conspirans

legibus naturae, dirigens eventus cosmicos, ut iucundam mihi in terra pararet habitationem; efficiens propagationem plantarum et animalium, quo mihi quoque tandem usui essent; procurans propagationem generis humani, speciatim in maioribus meis, quo ego tandem nascerer talibus dotibus ornatus, talibus beneficiis cumulandus.

3. Operabatur pro me filius Dei inde ab incarnatione tota sua vita mortali, operaturque continuo pro me in caelis mediator, in terris sacramento Eucharistiae absconditus et in ecclesia moraliter superstes.

4. Operatur in me Spiritus Sanctus mentem illustrans voluntatemque impellens, cooperans in omni actu supernaturali, augens gratiam et virtutes.

II. *Factum discutitur.*

1. Actus unus, indivisibilis, aeternus divinae energiae mihi subserviens factus est; subserviebat mihi ab aeterno meam volens exsistentiam; subserviebat ab initio mundi meam praeparans exsistentiam; subserviet tota aeternitate me conservans in gloria suisque donis cumulans.

2. Operatur mihi Deus omnis generis effectus: effectus omnium ordinum creaturae naturalis in mundo visibili, effectus gratiae in anima mea; effectus per se solum, effectus

adhibitis creaturis, angelis. Collige vagitus salvatoris infantis, lacrimas et suspiria agonizantis, verba docentis, gressus requirentis, aspirationes in Ss. Sacramento latitantis. Numera Spiritus Sancti illustrationes etc.

3. Quis huius tam admirandae operationis futurus *terminus?* Vult Deus post praesentem vitam me participem facere suae beatitudinis, quae simul est infinita requies et infinita activitas, vita, energia.

III. *Factum applicatur.* Aequum sane et iustum est,

1. ut et ego, quidquid agam, *pro Deo* et cum Deo agam ad finem eius gloriae et laudis;

2. ut agam *pro Deo homine* et cum ipso, ut sanctificem me corporis eius membrum, ut sanctificem alios cooperator factus filii Dei;

3. ut agam *pro Spiritu Sancto* et cum illo, in me et in aliis.

Punctum IV.

Deus in suis se beneficiis communicat.

I. *Factum perpenditur.* Mente conversa ad primum praeludium faciemque Dei reverenter contuitus, deprehendam in illa veluti lineamenta illa, quorum imitatio me imaginem Dei efficit.

1. Omnis bonitas, pulchritudo inferioris creaturae imitatio est quantumvis remota divinae bonitatis, pulchritudinis, descendens ab ea uti radius a sole, aqua a fonte, exhibens veram cum absoluta dependentia *similitudinem.*

2. Homo in supremo gradu creaturae visibilis constitutus, non similitudinem solum, sed veram Dei exprimit imaginem, ore imitatus Dei maiestatem, intellectu et voluntate cognitionem et volitionem, virtutibus sanctitatem, immortalitate aeternitatem, veram exhibens cum absoluta licet libertatis haud experte dependentia *imaginem.*

3. Homo secundum dona supernaturalia est filius Dei, sicut flos e semine, sicut pullus e gallina, sicut filius e patre prodiens, veram exhibens cum absoluta dependentia *divinae naturae communionem.*

II. *Factum discutitur.*

1. Hinc evehor ad supremam quae in creatis dari potest cum *Filio Dei* affinitatem, qui generatur a Patre in perfectam similitudinem et imaginem naturae. *Spiritus Sanctus,* a Patre Filioque procedens, procedit in me, meque per gratiam participem facit naturae et vitae divinae. *Pater* me vere paterno amplectitur affectu, e statu servitutis ad filiationem adoptivam evectum.

2. Quis huius divinae filiationis futurus *terminus?* Rom 8, 17: «Si autem filii, et heredes». Ideo haec omnia fiunt, ut tandem mortali vita functus recipiar in caelum, domum Dei, admittar in familiam Patris et Filii et Spiritus Sancti.

III. *Factum applicatur.* Assurgam ad affectum *pietatis,* quae est iustitiae et gratitudinis nobilissimus flos, vicem reddens Deo auctori mei ortus. Hinc

1. enitar, ut similior usque *Deo* efficiar, eius imitans perfectiones, meam voluntatem eius voluntati conformans, speciatim magis magisque me sanctificans secundum illud Lv 11, 44: «Sancti estote, quia ego sanctus sum»;

2. enitar, ut conformior usque evadam *Filio Dei,* eius sensibus, eius passionibus; ut vivam magis magisque vita *Spiritus Sancti;* ut moribus me exhibeam filium *Patris* mei, qui in caelis est;

3. in proximo quoque imaginem Dei et genus reverebor (Reg. Summ. 29).

Concluditur contemplatio post colloquium *oratione dominica,* quae est oratio filiorum ad patrem.

Appendix.

De praeludiis et colloquiis.

CUM ea quoque ad exercitiorum *materiam* a sancto Patre propositam pertineant, quam hoc opusculum explicandam suscepit, eorum hoc loco brevem subicimus declarationem.

Post orationem igitur praeparatoriam, quae, cum vocalis sit, facilitat animae transitum ad orationem mentalem, sanctus Pater ***praeambula*** proponere consuevit, quorum duo sunt essentialia, in nullo exercitio omittenda, aliud accessorium.

Praeambulum hoc accessorium inde ab incarnationis mysterio in omnibus non solum contemplationibus, sed etiam meditationibus adhibetur, excepta contemplatione de amore. Eius scopus est «adducere (in mentem) *historiam* eius rei, quam contemplari debeo» (incarn.). Unde perspicitur nihil proprie vetare, quominus

eiusmodi praeludium exercitiis quoque primae hebdomadae praefigatur, cum ex annot. 2 meditatio quaevis et contemplatio «historiam» habeat. Consistit hoc praeludium in mysteriis fere punctorum ad calcem libri descriptorum repetitione, ad quae nos sanctus Pater in eo praeludio constanter remittit voce «infra». In meditationibus constat illud praeambulum revera sola in memoriam revocanda «historia», eo scil. facto, in quo meditatio fundatur, omissis conclusionibus ex eodem derivandis. Ita de vexillis: «erit hic, quomodo Christus vocat et vult omnes sub suum vexillum, et Lucifer contra sub suum»; de binariis: «est historia, quae est de tribus binariis hominum, et unaquaeque earum (classium) acquisivit decem milia ducatorum» etc. Finis praeludii semper is est, ut applicetur *memoria* exercitio faciendo.

Prima praeambula, a sancto Patre pro quibusdam mysteriis exposita, cum textu eorundem mysteriorum in fine libri conferentes, advertimus S. Ignatium in praeambulis aliquid utique illius «brevis vel summariae declarationis» adhibuisse, quam

annot. 2 commendat. Non enim traditur nuda historia, qualis in evangelio vel in punctis legitur, sed eadem ipsi contemplationi iamiam proxime adaptata, quibusdam ex traditione vel imaginatione condimenti instar adhibitis. Vide primum de incarnatione praeambulum, quod punctis immediate sequentibus valde affine est: de nativitate, ubi asinae, bovis, ancillae fit mentio; de coena, de horto et tandem de Christi resurrectione.

Prius praeambulum ex essentialibus est *compositio loci* seu, uti sanctus Pater vix non semper loquitur, «compositio, videndo locum». Cuius nobis uberem doctrinam. tradit in primo exercitio primae hebdomadae. Visio autem haec fiat oportet «visu *imaginationis*» (ib., de inferno, de nativ.), neque differt in se ab illa operatione, in qua inferni meditatio et quinque sensuum applicatio fundatur: siquidem haec ita definitur, ut sit «ducere quinque sensus imaginationis per primam et secundam contemplationem». Differentia tamen inter hunc per quinque sensus contemplandi modum et inter loci compositionem duplex est. Primum in contemplatione semper oportet «reflectere in se

ipsum», «capere inde aliquem fructum»; in praeambulo eiusmodi reflexio esset praepostera. Deinde praeambulum non ita considerat res «in particulari», neque ipsas personas earumque circumstantias, verba et similia, sed solum *locum:* «locum corporeum, ubi reperitur ea res, quam volo contemplari. Dico locum corporeum, ut v. g. templum vel montem, ubi reperitur Iesus Christus vel Domina nostra, iuxta id, quod contemplari volo.» Et locus quidem attenditur fere semper secundum eius maxime obvias, ne dicam geometricas, rationes: «videre longitudinem, latitudinem et profunditatem inferni»; «videre viam a Nazareth ad Bethlehem, considerando longitudinem, latitudinem, et an plana sit talis via, vel an per valles aut clivos; item considerando locum sive speluncam nativitatis, quam amplus, quam exiguus, quam humilis, quam altus, et quomodo erat paratus»; «considerare viam a Bethania in Hierusalem, an lata, an angusta, an plana etc.; similiter locum coenae, an amplus, an exiguus, an formae huius vel illius»; «considerare viam a monte Sion ad vallem Iosaphat, et simi-

liter hortum, an latus, an longus, an hoc vel illo modo situs». Cf. de incarn., de resurr. ac tandem de vexillis. S. Ignatius in eo est, non ut picturam aliquam ipsius mysterii, eius personarum et actionum nobis prae oculos ponat, in quam ex inferiore veluti loco prospiciamus, sed ut nos in ipsum mysterii locum transferat, ut ibidem ipsi mysterii personas conveniamus, earum verba audiamus, actiones intueamur et ex earum conversatione proficiamus. Cuiusmodi conversationis fructus sunt regulae ad victum temperandum et regulae modestiae.

Quae nostri praeambuli indoles magis etiam clarescit consideratione praeambulorum earum meditationum, quae sunt «de re invisibili». Primum est praeambulum meditationis *de peccatis:* «videre visu imaginationis et considerare animam meam esse in hoc corpore corruptibili carcere inclusam, et totum compositum in hac valle tamquam exsulans inter bruta animalia. Dico totum compositum animae et corporis.» Praeludium evidenter respicit statum protoparentum, qui, rebellione carnis in spiritum suborta et corpore

in carcerem animae verso, e paradiso in hanc lacrimarum et spinarum vallem eiecti sunt, brutis pristinam familiaritatem in feritatem mutantibus. Praeludium tamen non in protoparentum personis sistit, sed statum peccato inductum in ipsa meditantis persona considerandum proponit («videre animam *meam*»), ita simul praeludium omnibus tribus punctis adaptans, in quibus omnibus meditans *se ipsum* inspicere monetur. Iam vero etiam sic praeludium est vera compositio loci. Peccatum quippe cum sit qualitas animae, praeludium nobis exhibet *locum* animae et consequenter ipsius peccati, habitaculum peccati et animae peccatricis, corpus iis circumstantiis vestitum, quas ex peccato derivavit, ut sit infectum corruptione, aggravans animam, exsulans super terram. Quibus praecise miseriis peccatum in hoc mundo visibile quadamtenus et visu imaginationis perceptibile evadit.

De *binariis* compositio loci est «videre me ipsum, quomodo sto coram Deo Domino nostro et omnibus eius sanctis, ut desiderem et cognoscam id, quod

gratius sit divinae suae bonitati». Finis igitur huius meditationis est inter varios modos se habendi quoad affectiones inordinatas «desiderare et cognoscere id, quod gratius sit divinae bonitati». *Locus,* si ita dicere fas est, eius piae cognitionis et voluntatis est ipse meditans, stans in praesentia Dei omniumque sanctorum; siquidem solum ex anima sacra hac praesentia illustrata et fecundata germinare possunt istae tam excellentes dispositiones. Assignatur autem longe convenientius is rei meditandae locus, quam assignaretur ille, in quo ipsi binarii supponi possent praesentes adesse: primum quia is locus in nostra meditatione indifferens omnino est atque ne verbulo quidem in textu describitur; dein quia prior illa loci compositio meditantem continuo applicationis ex parabola ad se ipsum faciendae commonefacit.

Cum binariorum praeambulo vix non idem est praeambulum contemplationis de *amore Dei.* Rursum *locus* eius amoris est ipse amans seu meditans, non genuflexus, sed «stans», ad Dei scil. servitium et amorem, uti in binariis ad id, quod Dominus eligendum suggesserit, omnino

expeditus, et quidem «consistens coram Deo Domino nostro» servitium vindicante, eiusque «angelis et sanctis interpellantibus», suaque intercessione gratiam impetrantibus.

Non ita planum est praeambulum meditationis de *regno Christi*. Exhibet illud nobis locum aliquem, non tamen immediate correspondentem imaginationi Christi regis regio apparatu incedentis; cui potius corresponderet praeambulum aliquod praeambulo vexillorum affine: «videre campum magnum totius illius regionis Hierusalem etc.» Age, de Christo rege instituitur meditatio omnes suos subditos unica vocatione alloquente: quomodo «visu imaginationis» tibi repraesentare iuberis eundem varias synagogas, oppida et castella peragrantem? Oportuit eum proponere in uno aliquo eoque limitato loco consistentem: «videre Christum . . . et coram illo universum mundum». Praeambulum respondet non imagini, sed rei; exhibet omnia loca, ubi externa Christi regis vocatio actu et successive obtinuit, atque sic eum finem intendere videtur, ut exercitantis mentem in contemplatione quidem de-

tineat, simul tamen constanter commoneat non agi de ficta aliqua, sed de reali et historica vocatione.

Alterum essentiale praeambulum est *petitio gratiae* «iuxta subiectam materiam».

Notanda est aliqua harum petitionum diversitas. Quandoque postulatur gratia vel pro solo intellectu, vel pro sola voluntate. Sic de triplici peccato: «pudorem et confusionem», quae duo unum sunt; de peccatis propriis: «dolorem et lacrimas»; de regno Christi: «ut ne sim surdus, sed promptus ac diligens», quibus oppositis duabus expressionibus una quoque eademque res designatur; de binariis: «gratiam ad eligendum»; de ultima coena: «dolorem, afflictionem et confusionem», ubi dolor et afflictio unum sunt et confusioni copulata eos praecise affectus exprimunt in duobus de peccatis exercitiis propositos, nunc vero non iam in ipsis peccatis sistentes, sed directe in Christum tendentes; de horto: «dolorem, confractionem, lacrimas, poenam internam», quae omnia in unum doloris affectum recidunt; de resurrectione: «gratiam, ut laeter et gaudeam.»

Alias praeludio duplex gratia, inserta ut plurimum voce *ut*, postulatur. Ita imprimis praeludio de incarnatione, quod pro tota secunda hebdomada statuitur: «petere cognitionem, ut amem et sequar»; de inferno: «intimum sensum poenae, ut . . . timor poenarum me iuvet, ne in peccatum deveniam»; de amore Dei: «cognitionem tot bonorum acceptorum, ut possim amare et servire». Coordinantur duae petitiones in vexillorum meditatione: «cognitionem fraudum *et* auxilium, ut ab illis mihi caveam», et pro altera parte: «cognitionem vitae verae *et* gratiam ad illum imitandum». Petitio prorsus sui generis occurrit in primo electionis modo, ubi duae gratiae coordinatae postulantur, prior excitans in voluntate («ut velit movere voluntatem meam»), posterior adiuvans tam in intellectu quam in voluntate («*et* ponere in anima mea»).

Adverte in iis praeludiis, ubi explicite postulatur solus affectus voluntatis, implicite tamen etiam postulari correspondentem intellectus cognitionem, utpote sine qua ille affectus esse nequeat. Tamen quod principaliter efflagitatur, utique af-

fectus est — confusionis, doloris, docilitatis, gaudii. In meditatione de vexillis cognitio et affectus ex aequo postulantur *(et)*; quippe cognitio fraudum Luciferi et vitae verae Christi bonum est tempore electionis propter se appetendum, et non solum quatenus condicio sit altioris boni assequendi. In secundae hebdomadae mysteriis et in contemplatione de amore Dei directe petitur sola cognitio, indirecte *(ut)* consequens illam affectus; cognitio, inquam, non sterilis, sed efficax, quae suapte natura affectum gignat et obsequium.

Haec cognitio in secunda hebdomada postulatur «intima», de amore «interna», i. e. talis, quae non in superficie haereat, sed obiectum propositum penetret. Similes recurrunt expressiones, ubi affectus voluntatis efflagitantur; «magnum et intensum dolorem», «intimum sensum poenae», «ut laeter et gaudeam intense». Nostrorum vero intuitu Christi affectuum mensura, cui, utvis nunquam explendae, constanter tamen adniti oportet, in horto et in resurrectione innuitur. Ubi petere iubemur «dolorem *cum* Christo doloribus pleno» — dolorem cum ipso et, quantum

fieri potest, plenitudini dolorum eius proportionatum; «poenam internam de *tanta* poena», gaudium de *tanta* gloria — i. e. affectum tantae poenae, tanto gaudio proportionatum.

Sicuti priorum praeludiorum proprium est figere attentionem mentis, ita huius ultimi praeambuli est proprium dare impulsum voluntati, ut inde omnes animae facultates recta ad fructum meditationi propositum maturandum conspirent.

Gratiae petitioni affine est colloquium. Illa meditationi terminum attingendum veluti praefigit, dum istud in eodem termino adepto conquiescit. Adest tamen quoad hoc ipsum etiam differentia. Petitio punctis proportionatur, in quorum praeparatione determinabatur etiam ipsa, colloquium ipsi meditationi, cuius fructus est et corona; sicut igitur meditatio se habet ad puncta, ita colloquium ad illam petitionem. Hinc petitio brevior sit oportet, colloquium prolixius. Colloquium non raro, immo plerumque longius progreditur quam petitio. Sic tertii exercitii primae hebdomadae praeludium petebat confusionem et dolorem de peccatis; colloquium, praeter haec, ad quasvis vitae deordinationes mundique vanitatem extenditur.

Petitio est gratiae cuiusdam generalioris, non particularium fructuum, quos suggerere est meditationis seu verius Dei in meditatione. Colloquium «reflectit in se», «discurrit per ea, quae se obtulerint», generalem fructum meditanti adaptat, quae in diversis sunt diversa. In praeambulo peto, ut sequar Christum; in colloquio ago, ut eum sequar sive in humilitate, sive in mansuetudine, sive in alia re. In praeambulo peto amorem, in colloquio peto ea, quae ipse amor suadebit esse petenda.

Cur ita? Primum, quia particularia illa non supponuntur initio meditationis esse satis clare perspecta, meditationi relinquuntur suggerenda vel illustranda. Quod vero nondum satis perspicitur, neque consuevit expeti intense et cum magno affectu. Secundo, quia generale illud initio meditationis expetere «sufficit» (de amore). Obtine amorem: suasore amore petes ea, quae amor suadebit esse petenda. Obtine gratiam sequendi Christum: studium sequelae te manuducet, ut petas humilitatem etc.

Colloquiorum doctrina nobis traditur de triplici peccato, de ultima coen et post binarios (cf. annot. 16). Describitur, ut sit reverens simul et familiaris cum Deo, Christo sanctisve personis *collocutio,*

propriis exercitantis verbis (incarn.), qui modo tamquam servus vel amicus coram domino vel amico se sistat, modo tamquam «pauperculus et servulus» ipsis mysteriis spiritualiter intersit (de nativ. punctum 1), et quae talem deceant proloquatur. Colloquium faciendum est, ut patet, «iuxta subiectam materiam» (coena); affectus, qui frequentius circa eam materiam eliciendi suggeruntur, sunt «petere», «gratias agere», «incusare» se ipsum, «proponere», «communicare res suas».

In meditatione de triplici peccato videtur suggeri meditantis colloquium *secum ipso,* sic enim habet: «Itidem (colloquium mecum ipso instituere)» etc. Verum haec parenthesis, quae in versione literali claritatis gratia fuit adiecta, deest aeque in versione vulgata atque in textu hispano. Dein in illa suppositione clauderetur ea meditatio duplici colloquio, uno cum Christo, altero meditantis secum ipso; sed duplici colloquio apud sanctum Patrem semper correspondet duplex oratio vocalis, dum hic solum «Pater noster» ascribitur. Tandem, immediate post hoc ipsum colloquium, sanctus Pater definitionem colloquii tradit: «Colloquium fit proprie loquendo, sicut amicus loquitur *ad alterum*»;

ergo colloquium semper est ad alterum, nec usquam secus in libro colloquium secum ipso recurrit. Sanctus Pater in illo colloquio non exigit, ut nobiscum ipsis colloquamur, sed ut nos ipsos inspiciamus: «inspiciendo me ipsum». Quaestiones illae: «quid egerim», «quid agam», «quid agere debeam», possunt aut simplici sui inspectione resolvi, aut per modum colloquii cum Christo discuti. Non sunt eae proprie ipsum colloquium, sed praeambulum quoddam ad illud, ex quo deinde ipsum colloquium efflorescit: «Atque ita videndo illum talem et ita fixum in cruce, discurrere per ea, quae se obtulerint.»

Colloquium aut *simplex* est aut *multiplex*. Post duo prima exercitia primae hebdomadae unicum colloquium ascribitur, neque plura videtur meditationum structura ferre. Idem de inferno dicendum: «faciendo unum colloquium». E contra in tertio ibidem exercitio, quod proprie repetitio est, videtur triplex colloquium omnino exigi; ponitur enim in titulo, et postea dicitur: «faciam tria colloquia *eo modo,* qui sequitur»; et in quarto exercitio dicitur: «faciendo eadem tria colloquia». In incarnatione, idemque valet de nativitate et probabiliter de re-

liquis mysteriis infantiae Domini, libertas conceditur dirigendi colloquii «ad tres personas divinas, vel ad verbum aeternum, vel ad matrem». Pro vexillis rursum triplex colloquium ascribitur; idem pro duabus repetitionibus inculcatur: «semper finiendo cum tribus colloquiis supradictis»; et instantius rursum post binarios, addita nota. Dein eadem tria colloquia ad quintam diem extenduntur, postea ad sextam, et ita intelligi debent extendi ad omnia vitae publicae mysteria. In tertia iterum hebdomada maior libertas conceditur: «potest facere unum solum colloquium ad Christum Dominum nostrum, vel . . . potest facere tria colloquia, unum ad matrem, alterum ad Filium, tertium ad Patrem»; et quoad hoc triplex colloquium additur: «eadem forma, prout dictum est in secunda hebdomada, in meditatione de duobus vexillis, cum nota, quae sequitur post binarios». In quarta hebdomada plena conceditur libertas: «terminare uno vel pluribus colloquiis». De amore Dei dicitur: «finire cum colloquio»; sane plus unico colloquio materia ibi subiecta vix fert, cum omnia

ibidem ad Deum unice referantur, nisi malis tamen triplici distincto colloquio tres personas divinas alloqui.

Discriminis ratio quadamtenus fit manifesta, si finis attendatur colloquio proxime assequendus. Ubi plura adhibentur colloquia, ibi semper proceditur ascendendo — a beata Virgine ad Christum, a Christo ad Patrem — et communiter etiam *intercedendo*. Unde apparet colloquia tum praeprimis opportune multiplicari, cum aliqua gratia sit impetranda; quod locum utique habet tempore electionis, quae durante contemplatione vitae publicae neque raro etiam durante passione continuatur. Quare sanctus Pater pro prioribus exercitiis absolute, pro passione facultative triplex colloquium assignat.

Quandoque vero exercitium non tam gratiam aliquam pro vita ordinanda impetrandam intendit, quam affectum aliquem tempore meditationis intime degustandum, v. g. confusionis, doloris. Tumque magis congruit unico uti colloquio, ex meditationis medulla quodam modo fluente, in quo liberrime animus in illo affectu indulgeat, quin personarum

alloquendarum varietate distrahatur. Ita res se habere videtur in potioribus exercitiis primae hebdomadae, et etiam in tertia hebdomada, dum modo electio absoluta sit: tum enim praestat affectui compassionis se totum permittere.

Potest tandem colloquium proficisci immediate, neque ex desiderio determinatae cuiusquam gratiae obtinendae, neque ex intentione certi alicuius affectus prae reliquis exercendi, sed simpliciter ex eo, quod anima, spirituali durante contemplatione sacrarum personarum consortio inflammata, ad easdem ordine dignitatis devote alloquendas gressum faciat; idque obtinet in mysteriis infantiae Domini, obtinere item potest in sequentibus mysteriis, quando electio est absoluta et devotio ad id movet.

«Colloquium fit proprie loquendo, sicut amicus loquitur ad alterum vel servus ad Dominum suum» – ergo colloquii essentia in *alloquendis* personis consistit. Quando igitur personae alloquendae, uti in mysteriis fit, iam decursu exercitii menti praesentes aderant, colloquium sponte ex ipso exercitio fluit. Verum aliter res

habet in quibusdam primae hebdomadae exercitiis, in quibus persona alloquenda decursu meditationis nequaquam ob oculos versabatur. Tum illa introducenda primum est per actus, qui cuiusdam veluti *praeludii* rationem habent. Exemplo sit colloquium meditationis de triplici peccato, in quo primum iubemur «*imaginari* Christum Dominum nostrum praesentem» et ex opposito, quod iam in meditatione praestitimus, «inspicere nos ipsos»; et cf. quod habetur de inferno: «trahere in *memoriam* animas». Praeter quam memoriae applicationem etiam aliquis discursus *intellectus* quandoque requiritur, antequam ad actus voluntatis colloquii maxime proprios transiri possit. Cuiusmodi sunt in colloquio de triplici peccato quaestiones illae ad Christum et ad se ipsum directae: «quomodo, creator cum esset, eo devenerit, ut hominem se fecerit etc.»; «quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo». Cf. de peccatis propriis vocem «ratiocinando», de coena «debemus ratiocinari». Colloquium tum a puncto fere eo differt, quod ea memoriae et

intellectus applicatio iam ipsa fiat *per modum affectuosae collocutionis,* dum intra meditationem potius fit per modum solitariae reflexionis. Conferre hic etiam iuvat quintum de peccatis propriis punctum, quo iubemur «cum ingenti affectu discurrere»; quod a veri nominis colloquio re vix differt.

Exercitium quodvis, colloquium habens, terminandum est *oratione dominica.* Unde iam explicatio in fine meditationis triplicis peccati de colloquiis tradita concluditur verbis «et dicatur Pater noster», ubi recte supplet P. Roothaan «in fine»; ultimum igitur quodque meditationis colloquium terminandum est oratione dominica. Eundem sensum habent voces «et Pater noster» (de resurrectione et de amore Dei), «dicendo (in fine) Pater noster» (de incarn.). Hinc triplicis peccati et inferni meditationes, quae unicum habent colloquium ad Christum dirigendum, tamen concludendae sunt oratione dominica, non «Anima Christi»; idemque observandum in contemplationibus passionis, si unico ad Christum colloquio absolvantur.

Cur vero tam invariabiliter hac oratione sanctus Pater singula exercitia concludat, ratio haec esse videtur, quod oratio *dominica* sit, de qua Dominus dixerit: «Sic ergo vos orabitis.» Colloquium ad beatam Virginem aptissime utique salutatione angelica clauditur, colloquium ad Christum oratione «Anima Christi», quae tam cara S. Ignatio fuit, ut eam libro exercitiorum praefigendam duxerit.

A colloquio distinguenda est *oblatio,* quae sollemnioris naturae est et praeconceptis, non propriis verbis fit; unde etiam in meditatione regni Christi, quae eiusmodi oblatione, nullo addito colloquio, clauditur, post eam non ponitur «Pater noster» aut alia vocalis oratio, cum ipsa oblatio vocalis oratio sit. Altera eiusmodi oblatio habetur in contemplatione amoris Dei. Ibi in fine primi puncti verbis «reflectere in me ipsum» introducitur eiusmodi oblatio («Sume, Domine, et suscipe»); in fine secundi puncti oblatio repetenda suggeritur: «similiter reflectendo ad me ipsum, *eo modo,* quo dictum est in

primo puncto etc.» Invitatio ad reflectendum in se ipsum, in fine tertii et quarti puncti, eundem certe sensum habet ideoque ad oblationem repetendam sollicitat; post quartum tandem punctum generali colloquio cum «Pater noster» clauditur contemplatio.